A tyranni adorti ſunt, aut civitatum ſuarum principes, aut
cohortium præfecti, à militibus Ducis ob largitionem ad
occupandas civitates adjuti. Oborta tum quidem infinita
mala ſunt; cum nemo unus præeſſet, qui vitia hominum
imperio & auctoritate compeſceret; innovata eſt etiam
Guelphorum & Gibellinorum pernicioſa ſeditio, quæ du-
centis & eò ampliùs annis per Italiam vagata, omnes civi-
tates ita ad arma civilia concitavit, ut fermè ad internecio-
nem certatum ſit. Nam Ugolinus Cavalcabos oppreſſis
Gibellinis, Cremonæ imperitabat: Parmam Otho Ter-
tius, interfectis ac pulſis Rubeis, obtinebat: Soardi Bergo-
mum, Ruſconii Comum, Viginatæ Laudam: Vercellas,
Alexandriam, plurimaque per eam regionem oppida Faci-
nus Canis, dux copiarum egregius, vi occupaverat. Omit-
to reliquos tyrannos à Galeacio pulſos, qui tum quidem re-
deundi ad tyrannidem & dominatum ſpem aliquam ſumpſe-
re. Maximè verò Gulielmus Scala, & Carolus Vicecomes
Bernabovis filius, qui principes omnes & populos ad defe-
ctionem ſollicitabant. Hinc etiam Pinus Ordelaphus, pa-
tria pulſus, Forolivio potitus eſt. *Platina in Bonifacio IX.*
B *& Sabell. lib. 9. Enead. 9.*

Mortuo Philippo Maria Vicecomite, Mediolanenſium
Duce, quatuor principatum ambiebant, Fridericus III. Imp.
jure imperii, Alfonſus Rex Aragoniæ, ex teſtamento Phi-
lippi dictus hæres, quod tamen popularis furor Philippo
mortuo diſcerpſerat; Carolus Dux Aurelianenſis ex ſan-
guine Vicecomitum natus, ſibi ab inteſtato principatum
deberi aſſerebat: Franciſcus denique Sfortia, quòd Philip-
pi gener eſſet. Mediolanenſes xii. viros crearant, qui reip.
præeſſent. Principatus ipſe foris dilaniabatur. Ad Sfor-
tiam multæ civitates deficiebant. Franciſcus ergo cum Ve-
netis inita ſocietate, Mediolanum obſedit. Carolus Gon-
zaga, qui à Mediolanenſibus deficiens ad Franciſcum ve-
nerat, poſtquam deſertos eoſdem Mediolanenſes, & ſine
ullo duce relictos animadvertit, iterùm ad Mediolanenſes
relicto Franciſco, tranſivit. Erat hic vaſto corpore, for-
maque penè gigantea; viribus verò, quæ magnitudini reſ-
ponderent: dicendi copia clarus, literis Græcis ac Latinis
inſtructus, ſed animo inconſtanti, & ingenio ad omne fa-
cinus parato. Ei non parva ſpes erat, oppreſſa Mediolanen-
C ſium libertate, tyrannidem invadendi. Auctor itaque fuit
xii. viris plebeis, uti ſeptem primarios cives noctu interfi-
cerent, tanquam patriæ proditores. Sperabat iis ſublatis ſe
faciliùs voto potiturum. At populus rei indignitate motus,
dejectis plebeis, novum magiſtratum è nobilitate creavit.
Sed mox nobilibus pulſis, plebejos è carceribus productos
priſtino reſtituit honori. Qui Gonzagæ ſuaſu ſatellitibus
cincti, cùm nobilitatem penitùs opprimerent, neque ta-
men Gonzagæ aditum ad principatum facerent, Gonzaga
per internuncios Franciſco reconciliatus, ac magnis alle-
ctus præmiis, Laudam illi prodidit, tertiòque jam fidem
fallens, non ſine magno Mediolanenſium damno, ac plebis
conſternatione, ad eum tranſivit. Non tamen defuit tyran-
nis animus, quin poſtulatis undique ſubſidiis, Franciſci ju-
gum jam propè cervicibus imminens, excutere conarentur.
Sed, cùm alios fruſtrà rogaſſent, Venetos tandem, ne ſe de-
relinquerent, pervicerunt: quibus non videbatur ex uſu eſ-
ſe, Franciſcum, cujus jam vires atque arma non ſine gravi
D jactura ſenſiſſent, eo imperio potiri. Miſerunt ergo Leo-
nardum Venerium legatum, qui auxilia & commeatum li-
beraliter promittendo, civitatem jam fame domitam in fide
contineret. At cùm promiſſa non exolveret, populari tu-
multu necatus eſt, xii. viri capti: Franciſcus à populo vo-
catus, urbis imperium ſuſcepit. Arcem populi furore pau-
lò antè disjectam, manibus ejuſdem brevi tempore reſtituit.
Æn. Syl. cap. 49. Europæ.

Marcus Vicecomes non obſcurè Actio patrueli ſubiratus,
quòd ad ſe, Saxonibus obſidem Ludovici Bavari Cæſaris no-
mine datum, redimendum pecuniam nequaquam liberaliter
ac diligenter expendiſſet, ad fatalem veteris odii atque inſi-
tæ ambitionis inſaniam rediit, uſque adeò, ut ſe Pontificis
Robertique regis Neapolitani & Florentinæ reipublicæ, Vi-
cecomitum perpetuorum hoſtium, clientem futurum jura-
ret, ſi ad pellendum Actium auxiliis atque pecunia juvaretur.
Hoc concepto ſcelere, fœdereque percuſſo, cùm per trigin-
ta dies Florentiæ viros nobiles & militiæ claros quotidianis
epulis liberaliter excepiſſet, & uti erat excelſo corpore, præ-
altoque animo & facundia inſigni, dignus paterno imperio
videretur, pro lautitiis mille aureis liliatis publicè donatus
Bononiam contendit; atque inde diſcedens, Mediolanum
pervenit, exceptuſque eſt ab Actio & fratribus multo cum E
honore & lætis utique vultibus. Sed dum in rem ſuam no-
vandis rebus clientelas exploraret, tentaretque veteres ami-
cos, in Arenæ curia poſt epulas in cubiculum colloquendi
ſimulatione deductus, à delectis aliquot prætorianis com-
prehenditur, eliſiſque linteo faucibus ſtrangulatur, nullo ex
ejus nece tumultu exorto: quum projectum cadaver è fene-
ſtra in publicum nemo lugeret, & tanquam ſponte præceps
datus, ſumptuoſis honeſtatus exequiis, ut ad Euſtorgium ſe-
pulchro majorum inferretur. *Iovius in vita Actii.*

Mortuo Joan. Galeacio Sfortia, Ludovicus ejus frater,
optimatium conſenſu, ad Imperium evectus eſt, qui in tanto
rerum motu imperii ſummam infanti Jo. Galeacio minimè
deferendam eſſe dicebant. Deberi autem ſibi imperium Lu-
dovicus prædicabat, quòd ipſe natus eſſet, dum Franciſcus
pater Mediolano virtute parto potiretur. Contra Galea-
cium, qui ætatis prærogativa inductus defuncto patri ſuc-
ceſſiſſet, in humili adhuc parentum fortuna gentium, atque
in Firmana Piceni arce ſuſceptum, præpoſtera ſucceſſione
principatus, fortunam, in qua neque dii, neque fata eum
naſci voluiſſent reſpicere minimè debuiſſe. Ergo Ludovi-
cus, uxore Galeacii è regni procuratione (quam illa, ut F
Joanni Galeacio filio ſuo admodùm parvulo, in fide atque
officio civitatem contineret, poſt viri mortem ſuſceperat)
reliquiſque adminiſtris paulatim dejectis, ipſe ſe ei rei præ-
poſuit, annoſque tredecim præfuit; fratris autem filium,
cui ſe regnum procurare præ ſe ferebat, ita aluit, ne ullam
ad frugem perveniret: non rei militaris, non literarum ſtu-
dia, non denique artem ullam & diſciplinam regiam edo-
ceri illum voluit, adhibitis etiam ad puerile ingenium de-
pravandum corruptoribus, quorum ille convictu in om-
nem luxum atque inertiam aſſuefieret. Et nondum planè
puberi Alfonſus Ferdinandi regis filius Iſabellam filiam in
matrimonium collocavit, ex eaque is etiam liberos pro-
creavit; ad regni tamen ſui gubernaculum à patruo nullam
in partem admiſſus eſt. Quam injuriam cùm graviter ferret
Alfonſus, & armis etiam ulturus videretur, Ludovicus, ut
res ſuas majoribus firmamentis in omnes eventus ſtabiliret,
Joannis Galeacii ſororem Blancammariam, neptem ſuam,
Maximiliano I. qui mortuo patre ſuo Friderico, Romano-
rum Imperator nuper erat renunciatus, in matrimonium
collocavit: cui dotis nomine ſe ducatorum quadraginta mil- G
lia certis temporibus numeraturum repromiſit: his addidit
gemmas, atque alia ornamenta pretioſa, ducatorum quadra-
ginta millibus æſtimata. Ex altera parte Maximilianus in
hoc connubio pecuniam magis quàm affinitatem ſecutus,
promiſit ſe Ludovico (Joanne Galeacio novo affine, jure
ſuo fraudato) Mediolanenſe imperium, ejus filiis & reliquæ
ſtirpi (quaſi à Philippimariæ obitu principatus ille legitimo
duce caruiſſet) auctoritate imperatoria conceſſurum: nec
non univerſa pecuniæ ſumma perſoluta, ſe ejus rei diploma
ampliſſimum traditurum. Evocavit intereà contra Arago-
nios Ludovicus Carolum VIII. Gallorum regem, & in tan-
to armorum ſtrepitu ſceleris ultorem nullum fore ſperans,
veneno nepotem ſuſtulit. Quo mortuo, cùm filius ejus
quinque annorum puer tanto imperio impar eſſet, Ludovi-
cus per amicos illud ſuſcipere coactus, licèt ſimulanter relu-
ctaretur, tamen priùs ſeorſim conteſtatus eſt, ſe ea tanquam
ad ſe ex regis Romanorum diplomate jure ſpectantia ſuſci-
pere. Cæterùm ſceleris ſui pœnas tandem dedit, à Ludovi-
co XII. Francorum rege captus, & in teterrimo carcere ad H
finem uſque vitæ maceratus. *Guicciard. lib. 1. Iovius lib. 2.*
& Bembus lib. 2. hiſt. Venetæ.

Liverottus Firmianus tyrannidem affectans, Joannem
Frangianum patruum ſuum, cum multis aliis ſummis in ea
urbe civibus, in domum ſuam per ſpeciem convivii perdu-
ctos, crudeliſſimè trucidavit. Eum non multò pòſt Cæſar
Borgia Valentinus dux Senogalliæ per fraudem captum
ſtrangulavit. *Guic. lib. 5.*

Anno 1502. Ludovicus & Fridericus Pici Mirandulæ co-
mites, antè ab Joanne Franciſco fratre pulſi, qui, etſi ille na-
tu major eſſet, eadem tamen ad ſe jura, quæ ipſe haberet,
ſpectare aſſerebant, auxiliis à Ferrarienſium duce, ex cujus
ſorore notha nati erant, & ab Joanne Jacobo Trivultio Lu-
dovici ſocero acceptis, fratrem vi expulerunt. *Guic. lib. 5.*

Cæſar Borgia Valentinus, Alexandri VI. F. Cardinal. or-
dine relicto, uxorem duxit, & Italiæ dominatum affectans,
miris artibus, inaudita crudelitate, urbes plurimas circum-
venit. Omnibus propè Pontificiæ ditionis regulis crudeli
perfidia trucidatis, Romanos etiam proceres ita afflixit, ut
Colu-

A Columnii exuti oppidis, actique in exilium, per Apuliam
atque Siciliam vagarentur: Urſini verò, qui in Borgiarum
amicitia fuerant, principum ſuorum funeſtam ſtragem lu-
gerent. Vitellocius enim Pauluſque Urſinus cum Franciſco
Gravinæ principe, Liperotroque Firmano, qui in exercitu
Cæſaris ordines ductabant, apud Senogalliam in familiari
ipſius colloquio comprehenſi necatique fuerant. Baptiſta
quoque Urſinus Cardinalis, qui vetere Pontificis gratia vi-
gere videbatur, à Pontifice captus, in cuſtodia veneno pe-
rierat. Raynaldus item Urſinus Florentinus Antiſtes & Aloi-
ſius Liviani frater, in arce Molis Hadriani ad non dubium
vitæ exitum ſervabantur. Pontifex inopiæ metu rapax, at-
que illo immani ingenio ſævus, ut Cæſari filio magnos alen-
ti exercitus, & regio luxu liberalitatem paſſim oſtentanti
pecuniam ſuppeditaret, ditiſſimum quemque Cardinalium
veneno ſuſtulit, haud dubiè in reliquos aulæ ſacerdotiis at-
que opibus inſignes, hæreditatis ſpe ſæviturus, niſi admi-
rabili deorum providentia ſibi mortem, ſupremam verò
Cæſari filio calamitatem peperiſſet, hilariore ſcilicet in cœ-
na, dum ad umbroſum Vaticani ruris fontem venenum bi-
B bunt, lagena pocillatoris errore commutata, quam dira
fraude opulentis aliquot ſenatoribus honoris ſpecie paraviſ-
ſent. Cæſar inter ſæva hominum odia deſtitutus, quia in-
columis aliter eſſe non potuit, beneficii loco poſuit, quòd
in pontificia arce ſit cuſtodiri juſſus, quoad novus pontifex
crearetur. *Iovius lib. 2. in vita Leonis.*

Paulus Fregoſius Genuenſium Pontifex, cognatum &
propinquum ſuum Baptiſtam Fregoſium (qui Genuæ domi-
natum juſſu Bonæ Mediolanenſis principis Galeacii Mariæ
viduæ occuparat) per ſummum ſcelus in carcerem conjecit,
& imperium civitatis arripuit. *Brutus lib. 8. hiſt. Flor.*

Hippolytum Medicem Cardinalem, Alexandro, qui pa-
truelis erat frater, & ex conſtitutione Clementis VII. Pontif.
Florentiæ principatum obtinebat, infenſum, quidam Flo-
rentini exules eò perpulerant, ut Etruriæ principatum af-
fectaret, abdicareque ſe honore purpurei galeri vellet, atque
inde ad Margaritæ jam pridem Alexandro deſtinatæ, Caroli
V. Cæſaris filiæ, nuptias aſpiraret. Itaque per Baptiſtam
Ciboum Maſſilienſem Epiſcopum, Innocentiſque Pontifi-
cis nepotem, teterrimam necem ex incenſo tormentario pul-
C vere Alexandro machinatus eſt. Harum inſidiarum indicia
ab Alexandro deprehenſa ſunt, atque illicò Romam ad Pau-
lum III. Pontif. delata. Pontifex, tametſi ruituræ Mediceæ
domus excidio, quod aliena cum invidia pararetur, mirè
gauderet, in ſpem ſcilicet ingentis lucri ex ampliſſimis ſacer-
dotiis, quæ in Farneſios nepotes transferrentur: tamen
Alexandri injuriam omninò negligere videri noluit, quum
Octavianum Zengam hominem facinoroſum ex Hippolyti
ſatellitibus, nefarii conſilii conſcium comprehendi juſſiſſet.
Eo capto, Hippolytus ex urbe in Catillum Tyburtini agri ca-
ſtellum profugit, Alexandro ſe conciliare, & à Cæſare pa-
cis conditiones accipere cupiens. Qua de cauſa Neapoli
conducto navigio, ad Cæſarem in Africa bellum gerentem
enavigare properabat. Verùm Petro Toletano prorege ei
navigium pernegante, ad oppidum nomine Iter, Fundani
agri, quod eſt viæ Appiæ impoſitum, inops conſilii ſubſti-
tit, ubi oborta peſtilenti febre, juvenis longè omnium eru-
diti ingenii nobilitate, decore vultus, & illuſtris vitæ ſplen-
dore florentiſſimus ſexto die ex humanis eſt ereptus. *Io-
vius lib. 34.*

D

VENETORUM.

Fuere Venetorum duci Angelo Participatio filii duo, Jo-
annes & Juſtinianus. Juſtinianus ad Leonem Imperatorem
miſſus à patre, perhumanè acceptus eſt, ac variè ornatus. In-
tereà pater alterum ſibi filium collegam inſtituit. Juſtinia-
nus domum reverſus, adeò iniquo tulit animo id factum,
ut neque officio, neque precibus hortatuve amicorum ullo
ad conſpectum patris venerit. Nec ſenex diu tulit optatiſſi-
mi filii deſiderium, Joannem abdicavit. Qui quum pater-
næ majeſtati haud ceſſurus videretur in adminiſtratione in-
hibenda, populus parere coegit. Juſtinianus itaque & An-
gelus Juſtiniani filius, à Participatio collegæ aſciſcuntur.
Joannem qui contumeliæ impatiens parùm quieturus puta-
batur, populus Conſtantinopolim relegavit cum conjuge
& liberis. *Sab. lib. 9. En. 8.*

NEAPOLITANORUM, SICULORUM

Joanna regina Siciliæ & Neapolis, Urbanum VI. Papam
deſeruit, quòd Othonem ducem Brunſvicenſem maritum E
regio titulo contra Gallos & Hungaros ornare nollet, & Cle-
mentis VII. Antipapæ partes ſecuta eſt. Urbanus illam diris
devovit, & Carolo Duratio, Andreæ Hungariæ regis à Jo-
anna uxore per dolum interfecti F. regnum invadendi pote-
ſtatem fecit. Carolus exercitu conſcripto per Italiam, con-
tendit Romam, ibique Urbano præſtito fidelitatis juramen-
to, coronam regni Siciliæ de manu Pontificis cum regia
conſecratione ſuſcepit. Otho ei obviam proficiſcitur, ob-
ſeſſurus anguſtias per quas ſolas erat venturo tranſitus. Sed
erant in agmine ejus perfidi quidam, ſuadentes, ut pauliſper
ab anguſtiis diſcedens, ingreſſos Hungaros à tergo adorire-
tur. Paret ille. Intereà tranſiens fauces Carolus inter urbem
Neapolitanam & exercitum hoſtilem medius, civitatem re-
cto itinere petit, eamque apertis portis (quòd nihil hoſtile
formidarent) ingreſſus eſt: ſubſecutus agmine citato Otho,
ubi ſe videt excluſum, caſtellum Sancti Eraſmi petit, ſum-
pturus conſilium ab eventu. Interim Carolus arcem reginæ
oppugnat. Otho cum equitatu per montem deſcendens, in
inſidias incidit, & in manus Caroli pervenit. Regina au-
diens caſum mariti, ſeſe dedidit, & in carcere expiravit, ſeu F
fame ſemetipſam conficiens, ſeu ſupplicio ob Andreæ patris
ſui cædem de ea ſumpto. Intereà Ludovicus Andegavenſis,
qui ſe Joannæ reginæ proximum ferebat, ab Antipapa coro-
natus, collecto exercitu contendit in Italiam. Duodecim
equitum millia duxit è Francia. Auctus eſt continuò nume-
rus, ut accurrentibus amicis undecunque, octoginta milli-
bus ingrederetur regnum Neapolitanum. Sed eo non multò
pòſt defuncto, cum de perdendo Urbano Cardinales quin-
que conſilium cepiſſent, ejuſdemque Carolus quoque con-
ſcius videretur: diris Carolum devovit Urbanus, ejuſque
arma fugiens, Genuam venit. Pòſt cùm Ludovicus Hunga-
riæ rex ſine prole maſcula obiiſſet (duabus tantùm relictis
filiabus, quarum natu majorem, cum regno Hungariæ, Sigiſ-
mundo Boemiæ regi, Caroli IV. Imp. filio, deſponderat) Ca-
rolus contendit in Hungariam, & oppoſitus Sigiſmundo,
magnam regni partem ſibi conquiſivit. Elatus in ſuperbiam,
ibi cæſus corruit, relictis parvulis in regno Neapolitano, La-
dislao filio, & puella Joan. Ladislaus impubes deceſſit, & re-
gnũ in manu Joannæ permanſit. *Crant. l. 11. Met. c. 15. & ſeq.* G

Bernardus Caprera, mortuo Martino Siciliæ rege, regnũ
affectabat, & reginam viduam Blancam, regis Navarrenſis
filiam, cùm alia ratione non poſſet, rapere cogitabat. Verùm
bis detectis inſidiis, tandem Panormi degentem aggreſſus
noctu, penè ceperat, niſi nuda cum mulierculis per frigidiſ-
ſimas aquas, ſubductis ſupra genua veſtibus, procurrens ad
triremim, clam evaſiſſet. Bernardus comperta ad navem fu-
ga reginæ, execratus diem: En, inquit, tertiò manus meas
effugit: atque ita indignabundus ad cubiculum reginæ per-
rexit, intravitque. Ubi cernens cubile turbatum, quale ſo-
let ob ſubitum timorem relinqui: Perdicem, ait, perdidi,
ſed nidum teneo: protinùſque depoſitis veſtibus, ut adhuc
erat tepidum, ſubit, ac per totum ſe volutans, & ſubindè
ſpiritum per nares trahens, ſignificabat more venatici canis,
ad luſtrum feræ, ipſo ſe odore delectari. Verùm non mul-
tò pòſt in Panormitanæ arcis obſidione captus proditione
Vaſconis cujuſdam, & in caſtello Mota dicto aſſervatus
eſt. *Valla lib. 2. hiſt.*

GALLORUM.

Clodoveus Rex Francorum, ad dignitatem ſuam pertine- H
re arbitratus, ut imperium à majoribus in Gallia partum am-
plificaret, primùm Romanos ſibi appetendos duxit: quibus
emotis, haud magni fore momenti putavit, Gothos & Bur-
gundiones, cæteroſque qui Galliam invaſerant, exturbare.
Itaque Syagrium Romano in oppido Sueſſione ſedentem,
campo ad conferendam manum deſtinato, prælio provoca-
vit. Syagrius in fugam actus, Toloſam ad Alaricum Gotho-
rum regem, qui paulò antè Enrico fratri ſucceſſerat, ut ab
eo ſervaretur, ſe contulit. Clodoveus Alarico denunciavit,
ut ſibi Syagrium traderet. Alaricus armati regis iracundiam
veritus, Syagrium dedidit: quem Clodoveus ad capitale
ſupplicium abſtrahi juſſit, ac Sueſſione, cæteriſque ejus op-
pidis in fidem acceptis, regni fines uſque ad Ligerim prolata-
vit. Atque hic quidem finis Romanorum imperii fuit in
Gallia: quam florente quondam populo præclara Q. Fabii
primùm, deindè C. Cæſaris victoria in poteſtatem ditionem-
que redegerat. *Sigon. lib. 15. Imp. occid.*

Clodoveus regno Francorum per omnes Gallias dilatato,
objit ann. Chriſti 509. ætatis ſuæ 45. cum regnaſſet annos 30.
Reliquit autẽ poſt ſe filiam unam, quam Amalaricus Gotho-
rum

A rum rex dixit, & quatuor filios, Theodoricum, Clodomirum, Childebertum, & Clotharium. Hi poſteà regnum paternum, tanquam catuli leonum optimam prædam objectam, præ aviditate prædæ diſcerpſerunt, & mutuam lanienam in ſemetipſos exercuerunt. Clothario & Childeberto necem fratris Clodimiri à Burgundis cæſi perſequentibus, Gumdemarus Sigiſmundi à Clodomiro occiſi frater regno ſpoliatus, in Hiſpaniam ad Viſigothos ſibi conſcivit exilium. Quod cùm parùm tutum arbitraretur, in Africam ad Vandalos tranſmiſit. Burgundiam victores reges inter ſe diviſere, nulla ratione habita filiorum Clodomiri. Tres admodùm pueri erant, Theobaldus, Gundarus, Clodoaldus, apud aviam Clothildem educabantur. Ab hac extorſerunt victores patrui, ut eos ad ſe mitteret, polliciti ſe illis regnum paternum reddituros. Clodoaldus ex itinere à paternis amicis futura proſpicientibus in tutum ſubreptus, aliquantò pòſt neceſſitatem in virtutem vertens, tonſus cœnobio ſe ſacravit. Reliquos duos cùm in poteſtate haberet Clotharius, occidit (quò majus nefas eſſet) manu ſua coram ipſo Childeberto, initio conſilii participe, ſed tunc ſcelus B deteſtante, illacrymanteque. *Æmilius lib.1. & Gregorius Turonenſis lib.3. cap.10. & 7.*

☞ *Eandem hiſtoriam vide ex Nauclero, Tit. Ambitionis fructus malus. §. Impietas.*

Regnabant inter Burgundiones duo Gundeuci regis filii, Gundobadus & Godigiſilus, animis prava inter ſe diſcordia exulceratis. Godigiſilus autem, ut fratrem Gundobadū everteret, clàm legatos ad Clodoveum regem Francorum miſit, ſpondens, ſe illi tributum annuum ſoluturum, ſi ſe in opprimendo fratre juviſſet: quod Clodoveus pro viribus ſe facturum oſtendit, ac ſtatim contra Gundobadum exercitum deſtinavit. Qua re cognita, Gundobadus pactarum inſidiarum prorſus ignarus, miſit ad Godigiſilum, obſecratum, ut ſibi adverſus Clodoveum in ſe hoſtiliter irruentem adeſſet, & ſecum commune regnum à communis hoſtis impetu tutaretur: atque ab illo reſponſum ſpecie benignum accepit. Cùm autem tres exercitus ad Divionem oppidum conveniſſent, Godigiſilus, Clodoveo ſibi adjuncto, Gundobadum C ſuper Oſcaram amnem invaſit, ſicque in fugam converſum trepido agmine ſeſe recipere Avenionem coegit, & regni parte Clodoveo conceſſa, Viennam proceſſit. Clodoveus autem Gundobadi tergo inſiſtens, exercitum Avenionem promovit, atque urbem corona circundedit. His de rebus Gundobadus in magnam conſiliorum difficultatem adductus, Aredium ex fidis amicis miſit ad Clodoveum, qui utile ſe ei dixit daturum conſilium, ut agri vaſtationem, & urbis oppugnationem, quæ magnam eſſet habitura difficultatem, omitteret, ac Gundobadum tributo annuo ſibi obnoxium faceret. Quod cùm ille probaſſet, Gundobado obligato, diſceſſit: ita Gundobadus regnum ſuum recuperavit. Quadriennio pòſt bellum civile renovatum eſt. Gundobadus, viribus ex ſuperiore clade collectis, promiſſa Clodoveo tributa perſolvere abnuens, exercitum adverſus fratrem Godigiſilum duxit, eumque Viennæ incluſum obſedit: urbeque capta, incolumitatis cauſa ad Eccleſiam Arrianam profectum, ibi cum Epiſcopo confecit: Francos auxiliares in unam turrim congregatos ſervavit, ac Toloſam ad regem Alaricum in exilium miſit: Burgundiones autem, D qui Godigiſilo ſtuduerant, neci dedit, ac totum Burgundiæ regnum recepit. *Sig. lib. 16. Imp. occid. ex Gregorio Turonenſi.*

Tres fratres erant Thuringorum gentis reges, Badericus, Hermenfredus, Bertarius. Hermenfredus Bertarium repentina vi aggreſſus oppreſſit, à nullo minùs quàm à fratre metuentem. Ac jam alterum fratrem aperto marte petebat, fratris caſu edoctum, ac egregiè ſe tutantem, nec ſuis viribus evertere poterat. Theodoricum regem Mediomatricum Clodovei F. accerſit, promiſſa illi dimidia fraterni regni parte. Auxilio Theodorici cæſo Baderico, tota Thuringia potitus, fidem mutavit, fratrum pœnis inſectantibus: exituque (ut in ſcelere aſſolet) infelice, partem Thuringiæ ex fœdere Theodorico petenti, bellum antevertens movit, in provinciaſque Francorum Tranſrhenanas excurſiones fecit, inſtigante Amalaberga uxore, filia Hunnerici Vandalorum regis. Illa enim Hermeufredo viro convivium habituro, dimidiam tantùm triclinii partem ſtraverat: interrogantique, Quid tandem id rei eſſet? reſpondit, Qui parte regni exueretur, eum etiam triclinii parte cedere convenire. Theodericus ergo in ſpem prædæ accerſito fratre Clothario E, Thuringiam totam victoriis peragravit. Fide etiam accepta Hermenfredus ad eum cùm ſe contuliſſet, ex editiſſima turri dejectus eſt. *Æmil. lib.1.*

Mortuo Chereberto rege Pariſiorum, ejus regnum nulla virili ſobole ſuperſtite dividendū erat inter fratres reliquos, Clotharii filios. Primùm omnium convenit, ut reges fratres jurejurando inter ſe obligarentur, non ingreſſuros ſe Lutetiam, quoad ea de hæreditate reque ſtatueretur, quæ cuique pars adjudicanda videretur. Guntrannus auctor erat, ut Concilio Epiſcoporum Lutetiæ habito, eorum arbitratu ea controverſia dirimeretur. Id inceptum vanū cecidit. Armis actū. Francis jam inde ab initio nota erat cupiditas Chilperici, æquioreſque Sigeberto Guntrannoque erant. Sed Guntranno domeſtica pace læto, Sigeberto Tranſrhenanis bellis adverſus Hunnos infeſtam Thuringiam populatione facientes occupato, Chilpericus Ciſrhenanas ejus urbes occupat. Rejectis Hunnis frater regreſſus, caput belli, regiamque illius Sueſſiones ſtatim ad ſe deficere cogit. Victor cum filio Childeberto uxoreque Brunechilde, Athanagildi Viſigothorum regis filia, Lutetiam ingreſſus, cum feſtis fautiſque accla- F mationibus exceptus, paucis diebus ibi ſediſſet, præmiſit cum ducibus copias ad fratrem, ſi ſui poteſtatem non faceret, obſidendum: ipſe mediocribus itineribus cum paucis ſubſecutus, Victoriacum ſe confert: quo loco longè maxima pars Francorum procerum, qui ſub imperio Chereberti fuerant, ei præſtò affuere, regem illum ſuum ſalutantes. Nullus in tanta conſenſione metus propinquus videbatur: cuncta mutua gratulatione plena erant: neminique adeundi regis poteſtas non fiebat. Tunc in tam mira patrandi facinoris occaſione, fiduciaque in tanta turba elabendi, duo juvenes (ut poſteà compertum eſt) à Fredegunde Chilperici uxore expectatione ingentium præmiorum ſubmiſſi, Sigebertum, cùm quartumdecimum regnaret annum, obtruncant, continuò à circumfuſa multitudine diſcerpti minutatimque cæſi. Hæc ſalus obſeſſi Chilperici fuit. Brunechild noctu filium Childebertum è feneſtra in ſporta per funem demiſit, excipientibus fidis amicis. Hi in Auſtraſiam detulere, ita vocitabant Mediomatricum regnum. Superveniens Chilpericus, Lutetia potitus eſt. *Æmil. lib.1.*

Chilberti Auſtraſianorum regis filii duo Theodericus & G Theodebertus, hic Auſtraſianorum, ille Burgundionum rex, inſtigante avia Brunechilde, regnorum cauſa inter ſe graviſſima bella geſſere. Victor ſemel atque iterùm Theodericus fratrem Tranſrhenanas gentes petentem, ut earum auxiliis bellum redintegraret, aſſecutus, retractum Cavillonum, in cuſtodiam miſit, detractis regiis inſignibus: duorumque ampliſſimorum regnorum potens, dum Theodeberti filiam ducere uxorem ſtatuit, dyſenteriæ morbo deceſſit. *Æmil. lib.1.*

Mortuo Ludovico Pio Imper. qui patre vivo ſe ferro accinxerant filii, mortuo capulis admovere manus. Lotharius rex Italiæ, & quòd maximus ſtirpis eſſet, Auguſtuſque à patre deſtinatus, ad ſe omnia revocabat, & qui ne patri quidem Auguſto peperciſſet, multò ferocior in fratres erat. Ludovicus rex Germaniæ, & Carolus Calvus natu minimus, Neuſtriæ rex addito Celtico & Belgico dictus, adverſus fratris cupiditatem communi animo conſilioque bellum geſſere. In finibus Altiſſiodorenſium ad Fontoniacum vicum caſtra caſtris collata ſunt. Die Reſurrectionis feſto cùm utrique alteros ob ſanctitatem diei prælium non expe- H ctaturos repentino impetu opprimi poſſe ſperarent, prima luce ad caſtra fratrum Lotharius, fratres ad caſtra Lotharii tendunt. Utraque pars alteri in medio ſpatio obvia fuit. Antequam ſtrueretur acies, locuſque ducibus militibuſque ab Imperatoribus attribueretur, infeſtis animis armiſque concurrere. Cædes miſerabilis facta anno 844. Cumuli corporum cernebantur, necdum furori rabieique finis. Omnis propè nobilitas Francica cæſa, pertinaci inter ſe certamine. Contrariis enim ſtudiis diſtracta, in duas ſe partes diviſerat. Nomen victoriæ apud Carolum Ludovicumque manſit, quòd duo concordes reges, & ante pugnam militum animos acuiſſent, & in acie ardorem excitaſſent, omniaque diverſi obirent faciliùs, quàm unus apud ſuos Lotharius, ſperans hoſtium exercitum ſub duobus regibus contentionum ſtudiis diſtractum iri, ac ut in præſentia vincerent, de opibus inter ſe mox dimicaturos. Quæ res longè aliter ceſſit. Nec modò ex Altiſſiodorenſium finibus hoſtem exegere, ſed cùm Aquaſgrani plenam majeſtatis urbem petiviſſet, inſecuti, ex Belgis Celtiſque ſubmovere. Trans Rhodanum ſe Viennam rece-

A recepit. Exin in annum induciæ factæ, delectique utrinque quadrageni proceres, quorum fide, prudentiaque, fida æquaque pax componi poſſet. Convenit, ut Franciæ rex Carolus diceretur, eaque Arari, Rhodano, Scalde, Moſa, Oceano, Pyreneo ſaltu contineretur: Ludovico Germania, Hunniaque cederet: reliquæ opes ac Imperium penes Lotharium forent. Pipini ex Pipino fratre rege Aquitaniæ nepotis reſpectus nullus extitit. Quo dolore adductus, cùm omnia agit moliturque, comprehenſus, in cœnobium tondendus traditur. *Æmil. lib.3.*

Ludovico II. Imp. mortuo, Carolus Calvus rex Franc. Romam abiit: datiſque muneribus, à Joanne VIII. Papa creatus eſt Imperator. Frater ejus Ludovicus rex Germaniæ id indignè ferens, ſtatim ei bellum parat, eò quòd ſe inconſulto fratruelis partes occupaſſet. Sed antequam res ad prælium veniret, Ludovicus moritur, relictis tribus filiis, Ludovico, Carolo & Carolomanno. Ea occaſione fretus, cum millibus, aut eo ampliùs, Aquiſgranum & Coloniam venit, regno filios fratris privaturus. Verùm Ludovicus junior exercitum ex Saxonia, Thuringia, & orientali Francia conſcri- B pto, ei obviam proceſſit. Ad pagum Meginenſem non longè ab Andernaco, collatis ſignis dimicatum eſt: & licèt numero pauci eſſent, qui cum Ludovico venerant, tamen numeroſas copias Caroli cæcidere, eoque fugato tres illi fratres regnum inter ſe partiti ſunt, anno Domini 876. *Regino lib. 2.*

Bernardus Italiæ rex à proceribus Francis inductus, regni Franciæ Ludovico Pio patruo eripiendi conſilium iniit, id ad ſe potiùs pertinere jampridem perſuaſus, qui Pipino majore Caroli magni filio eſſet natus, quàm ad Ludovicum ipſum, qui Pipino ætatis jure concederet: atque omnibus Italiæ civitatibus in ſua verba jurare juſſis, ſaltus Alpium idoneis impoſitis præſidiis confirmavit. Ejus conjurationis affines ex Italia fuiſſe Anſelmus Mediolanenſis, & Volfodus Cremonenſis antiſtites arguuntur. Ludovicus confeſtim magnum è Francia atque Germania exercitum evocavit, atque adverſus eum contendere properavit. Quod ubi Bernardus ſenſit, metu perterritus, maximè quòd ſe à ſuis quotidiè deſeri cerneret, arma poſuit, atque ultrò Ludovico ad Cabillonem ſedenti ſe tradidit: quem cæteri imitati, ſpontè ſua omnia, ſicut acta erant, enunciarunt. Ludovicus con- C juratione nudata, ac ſeditioſis omnibus in poteſtatem adductis, paucis poſt Paſcha diebus judicium de conjuratis exercuit. Cum judices Bernardum, ac reliquos conjurationis auctores rei capitalis damnaſſent, ipſe Bernardum luminibus orbaſſe ſatis habuit. Epiſcopos conventu decreto abdicatos in monaſteria condidit: cæteri pro cujuſque merito aut exilio, aut ſacra tonſione multati, iis ad ſe productis, non ſolùm vitæ, ſed etiam bonorum, quæ redacta in publicum fuerant, gratiam fecit. *Sig. lib.4. Italici regni.*

Ludovicus Balbus, cùm vix dum biennium regnaſſet, deceſſit, gravida uxore: ventris ſpei tutorem reliquit Odonem Roberti Andegavenſium Ducis filium. Ita rege nondum nato velut ventre rege (qui Carolus Simplex extitit) omnia turbari cœpta. Carolo Craſſo imperium uſurpanti, curator datus ob ignaviam Arnulphus fratris F. qui Auguſtus ſalutatus, Franciæ quoque regem ſe dictitabat, reſque pace belloque gerebat: cum maxima procerum pars, Balduino Flandriæ Comite, ac Fulcone Rhemenſi Archiepiſcopo recla- D mante, Odonem tutorem Caroli Simplicis regnare juberent. Eum Valterius Senonum Archiepiſcopus inunxit. Is rex adverſus Normannos præclarè debellavit. Berengarius Vidoque, qui apud Calvum Auguſtum in gratia auctoritateque fuerant, magnis opibus ac nobilitate inter ſe conſpirant, rerumque potiundarum conſilium ineunt. Placuit, ut Berengarius in Italia, Vido in Francia nomen Imperii invaderent. Et Fulco Archiepiſcopus Rhemenſis eum odio regis Odonis evocabat. In Mediomatrices venit, quòd eò conſiliorum ſocios cum Fulcone conventuros ex compoſito ſperarat. Sed Odonis opes plus quàm modicæ, ut rediret domum, coegere: ac quoniam peregrè conatus non proſperè ceſſerat, cum Berengario de Italiæ regno bellum gerere cœpit. Franci Odonem, biennio poſt quam eum regem ſalutarant, in Aquitania omninò regnare jubent, cætera Francia abſtinere. Fulconem cogunt Carolum Simplicem ungere, duodecimum ætatis annum agentem, æmulatione rerum adminiſtrandarum. Multi enim pro uno tutores exorti ſunt, ac armis in Odonem actum, in eumque Arnulphus Auguſtus vocatus. Virtute, operibus, fortunaque ſuperior Odo evaſit anno 897. Cum Simplex undeviceſimum annum ageret, Odo æger deceſſurus convocatis proceribus ſuaſit iis, ut Carolum Simplicem Balbi F. & legitimum regni hæ- E redem, regem appellarent. Sed nullius minùs quàm fratris ſui paterno nomine Roberti animum permovit. Is enim inter factionis ſuæ homines eam actionem movit, quæ nec cum ipſo quidem extincta fuit, ſed immortalis, tantos ſpiritus proli ejus ſubdidit, ut tandem Rodulfus Burgundionum dux, Carolo Simplice dejecto, ad regnum pervenerit. *Æmil. lib. 2. ex Sigeberto & Luitprando.*

Ludovicus XI. Caroli VII. Gallorum regis filius, adoleſcens natura immani, moribuſque acerbis, cupidus ante tempus ſui eſſe juris, cum ſuis æqualibus adverſus patrem conjuravit. Quorum capita fuere Joannes Alenconii, & alter Joannes Borbonienſium duces. Exercitu conſcripto, curam regni ſuſcipiendam, ſeque rerum omnium non ad patris præſcriptum, ſed ſuo arbitrio moderatorem faciendum ſtatuit. Carolus ſe ad miſeriam natum clamans, quaſi parum ſit, tot annos in patrio ſolo cum externis Anglis, cum civibus Burgundis de dignitate pugnaſſe, ut etiam cum filio de imperio certare cogatur: non tamen concidit animo, ſed principio obſtandum putans, antequam in ſe impetus fieret, principes convocat. Bona pars ſentit, non armis, at conſilio & lenitate id mali avertendum. Quapropter primùm literis F pro parte Caroli quocunque ad civitates ſcriptis precipitur, ut nemo homo ſit Ludovici dicto audiens: deindè conjurantis impunitas promittitur: ac poſtremò per principes viros graves, cum Ludovico ac ducibus de reconcilianda pace agitur, demonſtraturque, Nihil aliud eſſe in præſentia, tempore haud aliàs magis turbulento, de imperio certare, niſi patriam perditum ire, quæ Anglorum armis penè confecta eſſet. His conſiliis & rationibus factum eſt, ut conjurati depoſitis armis, confeſtim in gratiam cum Carolo redierint. Atque ita magna labes, quæ Rempublicam obrutura videbatur, priùs eſt reſtincta, quàm fieri cœpiſſet. *Polyd. lib.23.*

Godofredus Martellus Fulconis F. Andium Turonumque Comes, ferox robore animi, viribuſque corporis, & opibus factionis ſuæ plus æquo validæ, Guilielmo Aquitaniæ Comiti admodùm juveni bellum intulit. Cumque ejus vectigalis ac beneficiarius eſſet, coegit ſibi vectigal eum paciſci penſitareque: ſucceſſuque aucta audacia, ipſum captum in cuſtodiam arctam fœdamque conjecit; illoque ita necato, ejus novercam matrimonio ſibi junxit, & defuncti fratres ex patre admodùm pueros per eam illorum matrem in pote- G ſtatem redegit: Aquitaniſque imperitavit non modò vitricus, ſed tutor ſalutatus ſub Philippo I. *Æmil. lib.3.*

Robertus dux Normanniæ, Ricardum III. ducem, fratrem ſuum majorem, conſenſu popularium, judicioque ſupremo patris, ac legibus, & more patriæ rerum potitum, coacta perditiſſimorum audaciſſimorumque manu, bello perſecutus, aliquot oppidis primùm exuerat: deindè procerum armis captus, in cuſtodiamque conjectus, à fratre duce magis piè quàm ex uſu dimiſſus eſt. Ricardus enim virtute capto fratre, miſericordiaque dimiſſo, & vita donato, ipſe ſibi exitium creavit, ab eodem fratre veneno, ut traditur, ſublatus. Robertus Hieroſolymitanam ſacram peregrinationem vovit, ut fraternas pœnas furiaſque à ſe averteret. Sed multò faciliùs parricidium perpetratur, quàm expiatur. In Aſiam ivit, terramque Sanctamque peragravit magno comitatu faſtuque, qui ſolus alere iram numinis poſſet, ne labori tam longinqui itineris maximum ſcelus condonaretur. Et ut fama parricidii ſuperbiæque peregrinantis falſa fuerit, non poterat ſuperis cordi eſſe, illum, ut morte fratris H Ducatum obtinuerat, ita reliquis juſtis fratribus ducatum paternum avitumque non relinquere, ſed Gulielmo Notho legare, & velle poſt mortem etiam injuriam ſuam immortalem eſſe. In reditu non minori impotentia uſus, in Bithynia deceſſit. Niceæ ſepultus eſt, ſuorum & ipſe, ut iidem ſcribunt, veneno extinctus. *Æmil. lib.3.*

Joanna major, ſuperioris Balduini Græcorum Cæſaris filia, Flandriæ & Annoniæ Comes, omni vita ſterilis fuit. Ei ſucceſſit ſoror Margarita, domum ſobole replens. Gulielmus vir ſanctus initio creditus, ac ſacris initiatus, ætati teneræ præceptor rectorque datus, unum atque alterum ex ea furto vitiata liberos tulit, Joannem & Balduinum. Quo defuncto, illa Guilielmo Dampetræ ex nobilitate Burgundionum procerum cùm nupſiſſet, tres procreavit Filios, Guilielmum, Vidonem, Joannem. Hi patre mortuo, matre rem magno natu indicante, res adminiſtrare ſe æquum cenſebant, nulla ratione habita priorum. Ii ſe excludi ſpernique moleſtè ferebant: ſeque nothos, ut illi criminabantur, eſſe pernegabant: contendebant ſe juſto matrimonio procreatos:

memo-

A memoriam patris, ſpem hæreditatis, natales ſuos dicendo tutabantur; armis, ſi vi ageretur, tutaturi: quòd auctoritate Pontificis Max. à patre junctum matrimonium, minùs quidem illuſtre, ac minùs celebri fama teſtatum, pium tamen dicerent. D. Ludovicus Francorum rex beneficium ſuum, quodque juris ſui erat, Flandriæ Comitatum, ſoboli nuptiis teſte orbe terrarum piis procreatæ attribuit: his tamen juvenibus auctor, ne in matris pudorem tam diligenter inquirerent, utque ſuis per matrem fratribus conſulerent. In Annonia nobiliſſimi dominatus illis dati. *Æmil. lib.7.*

Hispanorum.

Theodericus Viſigothorum rex, victo & cæſo Riciario Suevorum rege in Aſturia, ut parceret Suevorum reliquiis, ſub tributo victuris, præfecit illis fidum hominem Athaulphum. At illum dominandi libido impulit, ut rebellaret. Acie victus & captus, ludibrioque habitus, quòd mallet rex eſſe ridiculus, quàm præfectus ſub potenti rege magnificus, ob perfidiam capite plexus eſt. *Crantz. lib.3. Sveciæ cap.7.*

B Siſenandus poſt mortem patris Cintilæ Veſtgothorum regis in Hiſpania, non expectato procerum conſenſu, regnum per tyrannidem invaſit, excluſo & occiſo primogenito fratre Cintila, ad quem regnum pertinebat. Adjuvit Siſenandi temeritatem rex Francorum Dagobertus: qui interim dum Gothi ob domeſticum & fraternum odium periclitarentur, Vaſconiam ab eorum regno avulſam regno Franciæ adjecit, fratremque ſuum Arebertum ea provincia donavit. *Io. Magnus lib.6. cap.17.*

Sanctius IV. Hiſpaniæ rex, patrem ſuum Alphonſum X. è Germania redeuntem, ubi repulſam Imperii paſſus fuerat, occupato regno non admiſit. Quatuor hominum millia trucidari juſſit; quòd in tumultu quodam Alfonſum fratris ſui filium regem appellaſſent. *Raviſius, & Ritius Neapolit.*

Henricus II. Alfonſi XI. Hiſpanorum regis filius nothus, Petrum fratrem ſuum, qui poſt Alfonſum parentem Imperii habenas ſuſceperat, ſtricto gladio confodit: eoque interempto, Regno potitus eſt. *Ritius Neapol. lib.3. regum Hiſp.*

Præterea cùm is multis aliis flagitiis infamis, ac maximè C ſuis inviſus eſſet, paſſus uxori ſtuprum inferri, quòd minùs ipſe aptus liberis procreandis haberetur, natam ex adulterio filiam reginam imponere Hiſpanis conſtituerat. Dejecto enim ſpe principatus Alfonſo, qui hæreditario jure ad regni ſucceſſionem aſpirabat, non ita magno negotio ſe armis ſororem prohibere ſperabat, magni animi fœminam, & majore in ſuo jure proſequendo conſtantia: quæ ſe regni Principem frequenti omnium conventu declarari curavit, quo nomine ab Hiſpanis regni ſucceſſor futurus appellatur. *Brut. lib.5. hiſt. Flor.*

Victericus Hiſpaniæ rex, Luybam anteceſſorem in regno inſidiis interemit, ut regnum obtineret. Eo ſeptem potitus annis, eodem mortis genere periit. *Idem lib.1.*

Sigebertus Clotarii Francorum regis filius, Childebertum fratrem incautum ſubito bello opprimere tentans, ut Sueſſiones recuperaret, immiſſis percuſſoribus eum occidit. *Ritius lib.1. de Reg. Franc.*

Theodoricus II. Viſigothorum rex in Hiſpania, unà cum fratre Friderico, Thoriſmundum fratrem jugularunt, ut Theodoricus ſuccederet. Etenim tertio anno regni ſui ægro- D tans, dum ſanguinem è vena mittit, ab Aſtaldo (Aſculum vocat Sigonius) proprio cliente (ſubtractis anteà armis) trucidatus, perfidia fratris Theoderici & Eurici. Una tamen manu, quam liberam habebat, ſcabellum tenens, aliquot ex inſidiantibus occidit. *Sigebertus in Chronico.* Tandem & Theodoricus à fratribus ſuis jugulatus eſt. *Ritius l.1. regum Hiſpaniæ.*

Fernandus, Aſturum & Caſtellæ rex potentiſſimus, timens, ne poſt mortem ejus de regno filii decertarent, vivens regnum diviſit: & dedit Sancio primogenito Caſtellam & Navarram: Aldefonſo Legionem, Aſtures: Urracæ & Geloiræ filiabus Zemoram & Taurum: Garſiæ Galleciam cum Portugallia. Sed eo mortuo ann. 1095. Sancius Caſtellæ & Navarræ finibus non contentus, & ſanguinem fratrum ſitire, & ad eorum regna cœpit aſpirare. Aldefonſum acie victum ad Toletanos fugere compulit: Garſiam regno exuit. Dum Zemoræ ſororem obſidet, à Belidio Athaulphi, qui ex civitate eruperat, per caſtra deambulans interfectus eſt. *Rod. Tol. lib.6. rer. Hiſp. cap.13. & ſeqq.*

Fernando regi Caſtellæ & Legionis clariſſimo frater Garſias, rex Navarræ, major natu, invidens, cùm ad ſe apud E Anagarum ægrotantem veniſſet gratia viſitandi, eum propoſuerat retinere. Sed detecto conſilio Fernandus evaſit. Paucis diebus interpoſitis, cùm ad Fernandum ægrum viſitandum Garſias diluendæ ſuſpicionis præteritæ cauſa veniſſet, captus à Fernando, ſed corruptis cuſtodibus elapſus, bellum fratri intulit: neque ulla ratione ſe placari paſſus, commiſſo prælio, deſertus à ſuis, quos tributorum gravitate exaſperarat, cæſus eſt, & Ferdinandus regno potitus. *Rod. Tol. lib.6. rer. Hiſp. c.10.*

Ferrando majori filio regis Caſtulonenſis nupſerat Blancha, divi Ludovici Francorum regis filia, cautumque nuncupandis conditionibus, ut ſi Ferrandus ante obitum patris moreretur, ſuperſtite etiamnum minore fratre, ſoboles tamen Ferrandi avo poſteà decedenti in regnum ſuccederet. Brevioris ævi fuit juvenis: duos ex Franca filios Ferrandum Alfonſumque reliquit in ſpem regni. Sanctius Ferrandi frater minor (in illo ambiguo jure, ad mortui avi hæreditatem utrum minor filius legibus vocetur, an nepotes ex majore filio jam defuncto) ne morte quidem patris exactæ ætatis expectata, regnum invaſit, ac populares in verba ſua jurejuran- F do adigere conabatur. Prævalidæ jam ejus opes erant, ac ſpes regni haud ambigua. Blanca cum filiis in Franciam ad fratrem regem confugit, opem implorans. Exercitus conſcribitur: ſimul Alfonſus puerorum avus, & memor fidei Franco in paciſcendis nurus nuptiis datæ, ſpe ſobolis, & impietate minoris filii irritatus, qui ſe vivo ſpiranteque regnaret, eum furiali carmine devovet, ei jure paterno maledicit. Qua execratione deteſtationeque religionem animis popularium injecit, ut nefario ſcelere ſe devinctum iri cenſerent, ſi damnato à patre filio, pœniſque paternis debito parerent. Ita jam in eum arma capiebant, regno ſpeque regni exacturi. Supplex ad genua ſenis patris procubuit: veniam, piacula, ac ſi videretur, juſtum in ſe ſupplicium expoſcens. Sanguis potior apud animum paternum, quàm memoria injuriæ, quam pœnitentia illuſtris ſatisfactioque ſequeretur, propiorque extitit. Filio benedixit: fauſta felicique obſecratione diras avertit, retexuitque; verba priùs concepta piis precibus recantavit. Diploma cum aurea imagine ſua per urbem Caſtulonenſium circummiſit, teſtatus, ſibi quando raptus fato eſſet G Alfonſus, nihil eſſe futurumve charius reliquo filio Sanctio: cuncta illi optare, apprecari, ſperare læta, ſecunda, felicia, ipſi, popularibuſque: quæ crederentur in eum ſecus concepta verba, eorum vim omenque in inimicos gentis, capita Barbarorum, in religionis hoſtes verſum iri. Hæc res reſtituit animos popularium Sanctio, ut ei uni ſene mortuo parerent, excluſis Alfonſi ex Franca filiis. *Æmil. lib.7.*

Hungarorum.

Mortuo Atila, duo legitimi filii Chaba, ex Herriche Honorii Græcorum Imp. filia, & Aladaricus, ex matre Kreinhelth filia ducis Bavariæ, de imperio certabant. Detricus à Verona, qui neptem Atilæ ex ſorore duxerat, princeps militiæ Atilæ, cum exterarum nationum principibus Aladarico adhæſerat, utpotè ex genere nationis ſuæ Alemannicæ orto. Chaba majorem Hunnorum partem ſibi faventem habebat. In campo Sicamrico tanta commiſſa eſt cædes per xv. dies, ut Danubii aqua, à Sicambria ad Potentianam uſque urbem, mixta ſanguine defluxiſſe tradatur. Major pars ex- H ternorum militum ab Hunnis trucidata fuit. Aladaricus in prælio cecidit. Victor Chaba Detrici tandem Veronenſis arte victus, cum ſexaginta fratribus nothis ac vigintiquinque millibus Hunnorum in Græciam ad Honorium Imperatorem confugit. Apud quem tredecim annos commoratus, derelicta ea regni parte, quæ ex materna hæreditate eum attingebat, in Scythiam itinere unius ferè anni reverſus eſt. Nondum Bendegiz avus ipſius paternus vita defunctus erat. Cujus conſilio duxit uxorem ex gente Coroſmanorum, Scythiæ vicina, ortam: ex qua duos ſuſcepit filios, Edemen & Ed: & memor fertilitatis regni Hungariæ, ſæpè filios admonuit, ut dum per ætatem liceret, Hungariam repeterent. Itaque poſteri eorum poſt annum circiter trecenteſimum ex Scythia magno exercitu reverſi, Hungariam ſecundò occupavere. *Nicolaus Olanus cap.17. in Atila.*

Colomannus Ungarorum Rex, improborum conſilio, cùm vivo Almo fratre Belaque nepote, Stephani filii in regno ſubrogationem ſperare non liceret, ipſe fratrem ac nepotem è gremio matris ereptum oculis privari, Belæ inſuper virilia amputari mandavit. Carnifex verò catuli cujuſdam

A teſticulis excctis & monſtratis, regis ſævitiam eluſit. Tandem jam animam efflaturus rex, Benedictum quendam ad trucidandum Almum in Demeſienſe cœnobium, ubi in carcere erat, mittit; ſed per monachos à cæde prohibetur: indeque ob monachorum, quam intentabant, vim, concitato curſu fugiens, ex equo eliſus cervicem fregit: quem canes inſecuti, ita fruſtillatim dilaniarunt, ut ne minima quidem particula ſuperfuerit. Tertio exindè die & Colomannus ex capitis doloribus expiravit, anno Reg. vigeſimoquinto, qui fuit Chriſti 1114. Succeſſit ei Stephanus F. qui Almum in Thraciam relegavit: mortuum Albam referri juſſit, honorificèque ſepelivit. Balam præterea filii loco adoptavit, eumque regni hæredem, ipſe enim ſobole deſtituebatur, deſignavit, Helena, Macedoniæ principis filia, in matrimonium ipſi juncta. Dyſenteria confectus obiit Stephanus, anno regni xviii. Chriſti 1131. *Bonfinius lib.6. Dec.2.*

Stephanus III. Ungariæ rex domeſtica & inteſtina fraude penè regnum amiſit. Ladislaus enim, patris Geyſæ II. frater, regis Belæ cæci filius, ſubrepto miris artibus ſacro diademate, regem ſalutari voluit: & ſic cùm ſex menſibus im- B peraſſet, objit. Poſt ejus mortem Stephanus Ladislai frater iiſdem ſuffragatoribus uſus, uſurpata corona decoratus eſt, & quinis menſibus ea potitus. Rex ingenti ſtrage Patruum vicit, regnoque exegit. *Idem.*

Quum Emericus, mortuo patre Bela III. Ungariæ regnum beneficio primogenituræ obiviſſet, frater Andreas iniquo id tuliſſe animo dicitur, præſertim cum Ladislaus è fratre nepos omnem ſpem potiundi ducatus præcidere videretur. Igitur fratri bellum indicit. Emericus rex fratrem neque literis neque magnis internunciis ſibi conciliare poterat. Quum utrinque acies inſtructæ conſtitiſſent, Emericus depoſitis armis, & ſtipatoribus relictis, coronam ſceptrumque geſtans, per medias fratris acies inceſſit, & ſalutari cohortatione omnium animos uſque adeò mutavit, ut confeſtim arma poſuerint, certatim quiſque veniam implorarit, inſolentiſſimæ pertæſus audaciæ, quam plerique magnates depravatis ſtudiis foverant. Andreas vita donatus eſt: tandemque defuncto fratre, ejuſque filio immaturè ſuſcepto, rerum potitus eſt. *Bonfinius lib.7. Dec.2.*

Sigiſmundus Caroli IV. Imp. F. Ludovico Ungarorum C rege ſocero mortuo, ubi in Ungariam venit, reperit Mariam ſponſam ſuam ab Ungaris jam non reginam, ſed regem renunciatam & coronatam, alienata ab eo ſocrus voluntate, ut ipſa cum filia arbitratu ſuo regnaret. Quæ res ipſum quidem & ſponſam ejus in extremum periculum adduxit, ſocrui verò exitio fuit. Etenim cùm mulieres arbitratu Nicolai Garæ Palatini regnarent, eumque & neceſſarios ejus, cæteris neglectis, ornarent, ac de alio rege è Gallis accerſendo clam conſilia caperent: moti indignitate rei plerique proceres, Carolum Neapolitanum regem, Ludovici defuncti regis, fratris Andreæ Veneti dicti, filium, ex Italia evocarunt. Cujus adventu cognito, Mariam ferunt cum Sigiſmundo nuptias acceleraſſe: exceſſiſſe tamen Sigiſmundum ex Ungaria in Boemiam, metuentem Ungarorum inſidias, quemadmodum ſcribit *Bonfinius*. Carolus ſub ſpecie opis reginis ferendæ in arcem Budenſem admiſſus, illam occupavit, & reginas Albam regalem ſecum ire coegit, ut ſolemnibus ſacris intereſſent, quibus ibi conſecrandus erat in regem Ungariæ. Elatus inde rerum ſucceſſu, apertè gloriabatur, ſe brevi Romanorum regem futurum, conſalutari- D que Carolus V. ſemper Auguſtus: nam parvo Venceslaum negotio exuturum Romanorum regno, qui Sigiſmundum ejus fratrem ejeciſſet Ungaria. Maria Sigiſmundi conjux, etſi per matrem averſa erat à marito, cœpit tamen Sigiſmundi miſereri: quem non ſatis eſſet Carolo exuere regno, quod illa haberet dotale, niſi etiam abſentem inſectaretur conviтiis. Erat ex amiciſſimis Carolo regi, qui eum familiariter ob jactantiam reprehendit. Ille ſuperbia tumidus, ſublata dextra alapam impegit. Famulus, non expectato juſſu domini, educto gladio caput cædentis percuſſit, adeò ut vulnus deſcenderet in oculum. Elizabethæ Ludovici regis viduæ, ſocrus Sigiſmundi, hoc nonnulli ſuſpicati ſunt conſilium fuiſſe. Nam cùm videret ſe cum filia eſſe deceptam, communicato conſilio cum Nicolao Gara Palatino, & Blaſio Forgaſſio, per ſpeciem ſecreti colloquii, Carolum interemit. Alii veneno ſublatum putant. Intereà Janus Horuatus Croatiæ Banus (præfecturæ id nomen honoratiſſimæ) in omnes vindicandæ cædis Caroli occaſiones intentus, Reginas animi gratia Buda ad vicinum vicum, Diaco cognominatum, egreſſus, in via adoritur, Forgaſſium haſta equo deturbat, ac enſe caput eidem adimit, Palatinum E equo deſilientem telo vulnerat, & caput juxta Reginarum carpentum amputat. Poſtremò ipſum carpentum cum Reginis in terram provolvit, ſupplicantemque Elizabetham per Ludovici regis mariti ſui beneficia, quæ in Banum contuliſſet (ex humili enim loco ad ſummam illum præfecturam ſubvexerat) extractam de carpento, in proximo flumine ſubmerſit: Mariam autem in Croatiam avexit. At Banus adventu Sigiſmundi territus, à Regina jusjurandum exegit de non ulciſcenda injuria: eoque dato, dimiſit illam Budam incolumem. Nactus ſponſam Sigiſmundus, eveſtigio & nuptias celebravit, & coronam Regiam, quam Hungari Sanctam vocant, aſſumpſit, anno 1386. Subindè Banum inſecutus, è Croatia expulit. Tandem in arce Bolnæ Dobor obſeſſum, dum fugam capit, deprehenſum quadrigis diſcerpendum curavit. *Dubravius l.25. & Cromerus lib.14. & Crantz. lib.9. Vandal. c.93.*

Mortuo Alberto II. Imp. Uladislaus poſthumus ei natus erat, regnorum Hungariæ & Bohemiæ hæres, quem mater Elizabetha quarto menſe coronandum Budæ curavit, & mox ad Fridericum Imp. patruum cum corona regia clàm F educandum miſit. Hungari interim atque Bohemi per factiones diſtracti, illi Uladislaum Poloniæ regem, iſti Albertum Bavariæ principem, qui à pueris apud Venceslaum regem Bohemiæ in aula educatus fuerat, ad regnum ſuſcipiendum invitabant, quòd dicerent, temporibus non convenire, nec regnis utile eſſe, expectare, dum infans Rex adoleſceret, quando ſupra caput quotidiè pericula imminerent, quæ Regem ætate virum requirant. Ac Uladislaus quidem rapto agmine in Hungariam venit, ſtudioque partium Budam ſtatim receptus, id ante alia egit, ut celerrimè rex Hungariæ coronaretur. Data igitur fide publica Ladislao Bano, ſub cujus tutela arx Vicegradenſis cum ipſa corona Regia fuerat, ut ſecurè Budam veniat, à ſe priùs non dimittit, quàm de arce concederet illis, quos reportandæ in Albam Regalem coronæ ſubmiſerant. Afferunt illi arcam ſignis Pontificum atque procerum obſignatam, cæterùm corona vacuam. Qua re vehementiſſimè perculſi, turbatique omnes ordines, ambigunt, quidnam facere debeant, perſuaſum habentes, regem Hungariæ, niſi corona illa ſancta, coronari non poſſe. Exclamat mox non nemo præſulum, viſa inter reli- G quias corona aurea, capiti D. Stephani regis impoſita. En adeſt, quam quæritis, Regis ſancti corona ſancta, ad hoc quod gerimus nobis tempeſtivè oblata. Cunctis læta voce ſucclamantibus: Rectè, rectè, tollitur illa, & ad caput Uladislai transfertur, Rexque ſtatim idem conſalutatur. Albertus verò Bavariæ princeps, præter omnium opinionem, regnum ſibi Boemiæ delatum deprecatus eſt, morique ſe malle reſpondit, quàm eo modo, quo Bohemi vellent, regnare. Volebant autem, ut communionem utriuſque ſpeciei non ſolùm approbaret, ſed omnibus etiam opibus & potentia ſua adverſus quoſcunque adverſarios protegeret: item, ut Magiſtrum Rokiczanum, Huſſitarum anteſignanum, patrocinio ſuo tutum præſtaret: dein ut bona templis & ſacerdotibus erepta ne repeteret. Ab illo per bona verba ablegati, novam denuò Pragæ deliberationem ineunt, legatoſque rurſus decernunt, qui eant ad Fridericum Romanorum regem, petitum, ut tutorio Ladislai nomine regnum Bohemię tuendum regendumque ſuſciperet. Inter legatos Ptaſco erat, Ladislao ob memoriam Alberti parentis non amicus. Is nactus facultatem ſeorſum alloquendi Friderici, ei ſuadet, ut ipſe re- H gem Bohemiæ ſemet conſtituat, tanquam princeps Aſturiæ ſenior, id quod ei antiquo fœdere inter Bohemos & domum Auſtriacam, de ſucceſſione regni icto, liceret. Ad quæ Fridericus: Alii, inquit, viderint, quid illis adverſus ſanguinem ſuum liceat: ſe nihil in filiũ patruelis facere poſſe, quo jus neceſſitudinis officiumque ſuum expleat, niſi ut illi paterna regna pro nihilo conſervet ac reſtituat, nedum ut aliquid adimat. Cæteris dein legatis reſpondet: Nec tutelam regni recipere, ſed curam illam Bohemis delegare, qui ut regni commoda incommodaque notiora habeant, ita utriſq; ſe meliùs conſulere poſſe, relaturi olim à domino ſuo pro benè aut ſecus adminiſtrata tutela, gratiam aut odium. Itaque duo proceres deſignati, Meynardus & Ptaſco, ille Romanæ, hic Huſſitarum factionis caput, qui Conſulari poteſtate regni negotia adminiſtrarent gubernarentque. Inter hæc mater Ladislai Elizabetha, dum regnum Hungariæ filio retinere ſtudet, multa hoſtilia ab Uladislao occupatore pertulit, & viciſſim intulit. Mortua paulò pòſt regina, Georgius Podiebrachius occupata Praga & Meynardo præfecto arcis

capto

A capto regni gubernacula ad ſe traxit. Intereà cæſo ad Varnam Uladiſlao rege à Turcis, Hungari mittunt ad Fridericum Cæſarem, qui ab illo Ladiſlaum, unà cum ipſa regni Hungariæ corona, repoſcant. Fridericus collaudatis Hungaris, quòd aliquando reſipuiſſent, reſpondet: Puerum adhuc eſſe, nec alia in præſens re egere, quàm fideli tutela: tutorem autem quemnam magis idoneum inveniri poſſe, quàm agnatum atque gentilem pupilli, & præterea Cæſarem? Expectarent itaque parumper, dum ille adoleſceret, atque interim bona fide regni negotia curarent. Deligunt confeſtim illi Janum Hunniadem regni gubernatorem, nec ideò tamen deſinunt Regis præſentiam requirere, non jam precibus, ſed armorum terrore, quem Hunniades, contractis duodecim millibus equitum, ſatis terribilem Friderico infeſta populatione incuſſit, ut ſaltem corona potiri poſſet. Sed non aliud aſſecutus eſt, niſi Cæſaris indignationem, quam brevi pòſt, re feliciter in Servia adverſus Turcarum præſidia geſta, in gratiam vertit, ſibique benevolentiam Cæſaris reconciliavit. Urgentibus deindè Fridericum, tum Hungaris, tum Boemis, tum etiam Auſtriacis, atque B omnibus vim minitantibus, niſi illis dominum ſuum reſtitueret, qui ſuis liberè dominaretur: puerum ſecum duxit in Italiam, quam coronæ Cæſareæ ſumendæ cauſa petebat. *Dubravius*.

Mortuo Ladiſlao Hungariæ rege, Auſtriæ duce, Fridericus III. Imp. ſibi tanquam ſeniori ducatum deberi aſſerebat Albertus verò frater, ſuo & patruelis Sigiſmundi nomine regiæ hæreditatis partem poſcebat, ita quidem ut cum Sigiſmundo contra Imp. conſpiraverit. Viennam petebat Imper. Albertus honoris cauſa obviam profectus eſt, tria millia expeditorum equitum habens, quæ non longè à Vienna in quodam tumulo Imperatori ſe oſtentaverunt, magnumque metum venienti incuſſere. Suſpicionem auxit Albertus, qui ſæpè ad eos profectus, ac ſeorſum locutus, inſidias apparaſſe Cæſari videbatur. Ferunt, ejus militiæ ducem Alberto dixiſſe, Facilè, ſi libet, hodie Viennæ te dominum atque Auſtriæ facio. Nam quis prohibet, quò minùs Fridericum intercipiam? Victori leges atque homines favent. Subdubitavit Albertus aliquantiſper, demumque reſpondit: Poteram ignoſcere, ſi quod ais me ignorante feciſſes: at C mandare turpia non poſſum. Ingreſſi urbem Albertus & Sigiſmundus, ſimul habitavere. Imperator privatas civium ædes incoluit. Arx Provincialium nomine cuſtodiebatur. Conſpiravere Sigiſmundus & Albertus eam noctu aggredi: armataque manu iter ingreſſi, jurejurando ſe aſtrinxere, non redituros domum, niſi arcem intraſſent. Senſere cives, moxque arma ſumpſere. Inſtabat civile bellum, & atrox pugna pro arce. Tandem conventum eſt, ut ingreſſi principes arcem, paululùm immorati, poto vino exirent. Atque ita deluſa magis quàm impleta religio eſt. Poſtridiè arx conſenſu Provincialium, in tres partes diviſa: duas accepere Albertus & Sigiſmundus, reliquam Imperator: delectique Provinciales ſunt, qui litis fraternas dirimerent. *Æneas Sylvius*, *cap.22. Europæ*.

Anno Salutis 1490. mors Matthiæ regis, belli inter Ungaros & Polonos cauſa fuit, ex inteſtino Ungarorum procerum inter ſeipſos diſſidio. Nam ii diverſis ſtudiis partim ad Uladislaum regem Boemorum, Caſimiri Polonorum regis F. partim ad Jo. Albertum, alterum Caſimiri filium, regnum detulerant: nec deerant, qui Maximilianum Cæſarem reD gnare vellent: erant etiam, qui externos reges faſtidientes Joannem defuncti Matthiæ nothum filium, quem blandè Hantſelicum vocabant, regem appellarent. Non repudiavit Joannes Albertus oblatum regnum, invitantibus & orantibus, qui ipſi ſtudebant, Ungaris: patre verò ſuadente, & ſumptus præbente. Sed Uladislaus accitus à ſuis fautoribus, celeriter cum tumultuariis Boemorum copiis adfuit: & Budam caput regni, favore Beatricis reginæ (quæ jam inde, ex quo Uladislaus Olomuciæ cum Matthia conventum agebat, aſpectu ejus capta erat, tunc autem nuptiarum ejus ſpem conceperat) pulſo Hanſelico, occupavit. Id cum didiciſſet Joan. Albertus, accepto à patre exercitu, victus à fratre, regno cedere coactus eſt. Uladislaus Hanſelico & Maximiliano ſuperatis regnum obtinuit, neque tamen Beatricem duxit *Cromerus lib.29. & Dubravius lib.* 31.

P O L O N O R U M.

Craci principis Polonorum filius natu minor Lechus, majorem, cui Craco nomen erat, per ſpeciem venationis in ſylvas eductum, incautum occultè interemit: ac fortuito caſu E eum periiſſe mentitus, ſimulatis lacrymis atque luctu honorificè ſepelivit: principatumque ſceleratè appetitum, qui majori natu debebatur, ſuſcepit. Verùm aliquanto pòſt patefacto ſcelere, principatu dejectus, & in exilium actus eſt. Alii, dolore & conſcientia patrati parricidii, cum diis, tum hominibus exoſus eſſet, domi eum contabuiſſe, nullis relictis liberis, ajunt. *Crom. lib.2.*

Miegislaus Senex ob tyrannidem regno Poloniæ ejectus, cùm reditum tentaret, à Caſimiro II. fratre captus, & impunè dimiſſus, eo mortuo, technis, quod armis non poterat, effecit, & Leſcum Caſimiri F. principatu deturbavit. Ab eodem paulò pòſt, cum promiſſis non ſtaret, dejectus, Leſcum viciſſim ſecundò dejecit, & anno 1202. objit. *Cromerus lib.7.*

Erat apud Vitenem Magnum Lituanorum ducem magiſter ſtabuli Gediminus vir ambitioſus & excelſi animi, qui interfecto domino ſuo, dominatum inter ſuos arripuit, & latè propagavit, ſubacta magna parte Ruſſiæ. Huic ſeptem fuere filii, Montividus, ſive Monividus, Narimundus, Olgerdus, Javunutus, Keiſtutus, Koriatus & Lubartus: inter quos dominatum partitus eſt. Javunuto Vilna metro- F polis obvenit, homini ignavo. Quem Olgerdus & Keiſtutus captum imperio dejecere, & principatum partiti ſunt, ita ut Olgerdus Vilnam haberet, qui ſuſcepit è Maria Ruſſa xii. filios. Ex quibus omnibus Jagellonem natu maximum dilexit pater, quòd eſſet præclara indole, ſucceſſoremque ſibi in principatu, annuente Keiſtuto, deſignavit. Qui poſteà ad regnum Poloniæ pervenit. Habebat & Keiſtutus ſex filios: ſed Vitoudum & ipſe ſucceſſorem ſibi præ cæteris deſignavit, qui poſteà magnus Lituaniæ dux evaſit, anno Chriſti 1381. *Crom. lib.14.*

B O E M O R U M.

Udalricus, Jaromirii Boemorum regis frater, cùm occupatam à Polonis Pragam aſtu recuperaſſet, ſibi tanquam victori, licèt natu minor, regnum deberi putabat. Theodori tandem Pragenſis Epiſcopi auctoritate diviſus inter fratres principatus. Cæterùm Cochani Verſovicenſis conſilio Udalricus fratrem cepit, & oculis ſpoliatum ad regni adminiſtrationem ineptum reddidit. Non multò pòſt ſceleris G pœnitens, Helichardi Epiſcopi interceſſione fratrem ad ſibi ignoſcendum permovit, & ad communi conſilio adminiſtrandam Remp. admiſit. *Dubravius lib.67.*

Mortuo Ladislao Boemorum rege, nunquam majore ambitu comitia regis creandi in Boemia claruerunt. Cæſar Fridericus III. in petitione ſua, jus quod feudatarium vocant, à Ladislao neglectum & contemptum prætendebat: adeòque Alberto aut Sigiſmundo Auſtriæ ducibus, ex antiquo fœdere inter Boemiæ & Auſtriæ principes icto, regnum illud alteri eorum aſſerere tentabat. Caſimirus Poloniæ Rex, cui ſoror Ladislai nupta erat, ut Vilhelmus Saxoniæ dux qui alteram ſororem natu majorem in matrimonio habebat, regnum ad ſe jure ſucceſſionis pertinere dicebat. At Rex Gallus Carolus VII. qui filiam Ladislao deſponſaturus fuerat, non jure aut ambitioſa petitione, ſed auro & opibus, quibus etiam parta regna debellantur, audacter prenſabat, ſpondens omnia regni debita ſuo ære ſe perſoluturum, omniaque à regno alienata ſuo marte recuperaturum, & ad annum uſque ſeptimum nullum planè tributum à quoquam exacturum. Si admiſſi & in comitiis auditi oratores Galli H fuiſſent, opinio erat, ablaturos illos ſuffragiorum calculum fuiſſe. Sed non defuit Georgio Podiebradio regni Gubernatori providentia ad cavendum, ne priùs ulli oratores in Senatum vocarentur, quàm Rex futurus eligeretur. Locus eligendo regi in domo prætoria veteris urbis conſtitutus, cohortibuſque armatis circumdatus, in eum antequam convenirent, per ſpeciem religionis templum Rokyczanæ ingreſſi, concionatorem audivere: Ne quem externum regem ac minimè omnium Germanorum declararent, experti toties, quàm animati ſint Germani in Boemos, tantùm videlicet, ut ſi poſſent, hodie potiùs quàm cras perderent omnes: Nulla noſtra, inquit, culpa, niſi quia veritatem agnovimus, quam illi hæreſin vocant, & nos per contumeliam hæreticos, ut ita nos traducant per ora hominum, & tantam nobis conflent apud cœtus piorum invidiam, ut quaſi impii & piaculum meriti, à ſedibus conciliiſque eorum abigamur. Sed ſi nos Boemos eſſe meminimus, nulla tanta ignominia erit, ut propter illam à majoribus acceptam multoque ſanguine partam religionem prodamus.

A Et quis tandem melior ejus cuſtos fuerit, quàm ille, qui in ipſa religione natus educatuſque, & qui ad eandem defendendam promptus paratuſque ſit, nempè ipſe Gubernator, conſiliis & armis juxta conſpicuus, & vobis jam pridem omnibus domi militiæque ſatis notus? Aut hunc regem nominandum eſſe, aut ſi nemo inter Boemos tanto faſtigio dignus cenſeatur, Hebræo more duodecim Judices aſſumendos, qui populum Boemum æquo jure gubernarent. Hinc in prætorium itum, & tam foris quàm intùs priùs acclamatum, quàm decretum: Vivat rex Georgius. Solemne in Boemis eſt, Cæſarum diplomatibus comprobatum, ut rex Boemiæ ab Archiepiſcopo Pragenſi, aut Epiſcopo Olomucenſi, ſi Pragenſis non adſit, inungatur coroneturque. Pragenſis ſedes tunc vacabat: nec Olomucenſis Protaſius confirmatus erat: neque ullus à Germanis Epiſcopis falcem in alienum agrum, ac præſertim Zizania Huſſitarum infectum, mittere volebat. Ergo cùm Georgius jusjurandum à Romano Pontifice Calixto oblatum præſtitiſſet, miſſi ex Ungaria ſunt à Matthia genero duo Epiſcopi, Jaurinus & Vaczovienſis, in Boemiam, qui munere illo coronandi fungerentur. B Affuit & Protaſius Olomucii electus, ut teſtimonium de juramento perhiberet. Juramentum Latinè primùm recitatum palàm fuit: dein vernacula lingua Georgio per regni Cancellarium, ut vocant, prælectum. Quo audito, ſchedam ille in manus ſumens, non dubitavit, in omnia illa verba, quæ ibi concepta & ſcripta fuerant, ore ſuo jurare: Obedientiam videlicet ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ cuſtodire, & illam tueri & propugnare pro virili enixè velle, ac populum ſibi ſubjectum ab omnibus erroribus, ſectis, hæreſibus, atque ab aliis articulis Romanæ atque fidei Catholicæ contrariis revocare, & ad ritum cultumque veterem reducere. *Dubr.*

D A N O R U M, S U E C O R U M.

Frothone Danorum rege mortuo, relictis tribus filiis, ex æquo regni cupidis: Haldanus, Roe & Scato fratribus interfectis, regnum parricidio invaſit, eorumque fautores ſuſpendio abſumpſit. *Crantz. l.1. Daniæ, c.13.*

Sigefridus & Amilo è ſtirpe regia juvenes, Henningo DaC norum rege mortuo, cùm inter ſe de primatu regni convenire non poſſent, prælio rem dirimendam putaverunt. In quo congreſſu undecim millibus hominum interemptis, reges ambo ceciderunt. Pars Amilonis cruenta victoria potita, Reginfredum & Heroldum in regnum collocaverunt. *Crantz. l.1. c.17. Metrop. & Sigeb. in Chron.*

Canutus Magni, & Sueno Erici filii, ambitioſa contentione regium appetebant nomen in Dania. Suenoni Sialenſes, Jutii verò cum Eſchillo ſummo Daniæ Pontifice Canuto adhærebant. Tandem ad Fridericum I. Imp. ſe contulit Canutus, infelix bellator, eique regni ſubjectionem, ſi reſtitueretur, promiſit. Imperator ſua interpoſita auctoritate, utrumque Mersburgi adeſſe juſſit. Quibus comparentibus, litem hac ratione diremit, ut Otho Friſingenſis *l. 2. c.5.* de geſtis Friderici annotat, ut Canutus, Sialandia contentus, regio ſe abdicaret nomine: quo ſolus Sueno frueretur, Romanoque Imperio pareret. Valdemarus, D. Canuti F. qui Suenonem ſecutus fuerat, fidem ſuam interpoſuit. Ad ſuos reverſus Sueno, pacis conditiones, quas nemo ante ſe Daniæ regum accepiſſet, reſpuit, nec Canuto D Sialandiam ceſſit. Intereà cùm luxurioſè & crudeliter regnaret, Canutus Sophiam ſororem germanam cum ampliſſima dote Valdemaro deſpondit. Sueno amici cum hoſte conjunctionem moleſtè ferens, illum perfidiæ & proditionis inſimulabat. Tandem habito colloquio, pax inter Suenonem & Canutum & Valdemarum firmata eſt. At cùm ſæpiùs vitæ ſuæ inſidias Suenonem ſtruxiſſe Valdemarus cognoviſſet, apertè cum Canuto ſocero ei bellum fecit, & uterque regium nomen ſibi adſcivit. Sueno à ſuis deſertus, per integrum triennium apud ſocerum latitavit. Poſt per Henricum Saxonem & Hartuicum Bremenſem reductus, regnumque in tres partes diviſum eſt, ſic ut Jutiam Valdemarus, Sialandiam & Fioniam Canutus, Scaniam Sueno acciperet, ac ſinguli regio nomine inſignes eſſent. Pactum factum ſacramento firmatum. Sed Sueno utrique ad convivium vocato necem intentavit. Et Canutus quidem occiſus eſt, Valdemarus verò in femore graviſſimè ſauciatus, noctis beneficio evaſit, & militem conſcripſit. Suenonis ſcelus exoſi plerique, illi ſe adjunxere. In Jutia atroci commiſſo prælio, Sueno capitur. Cùm ad Valdemarum ſe duci peteret, à quodam ſubitò advolante ſecuri ipſi caput præſcin- E ditur. Itaque ſolus Daniæ regno potitus fuit Valdemarus. *Sax. l.14. & Crantz. l.6. Daniæ.*

Valdemarus Suecorum rex, peregrinationem ſuſceperat in terram Sanctam (priùs de more inviſens urbem Romam) Intereà frater ejus Magnus regnum occupavit, pro rege legitimo ſe ferens, populo conſentiente, Valdemarum Regno adminiſtrando minùs cenſente idoneum, qui Eccleſiarum tereret limina, non regia obiret negoria. Reverſus Valdemarus, & contractis, quos in regno multos pro virtute & modeſtia reliquerat, amicis; prælio commiſſo victus, cum uxore ac liberis conceſſit in Daniam ad regem Ericum. Poſt longum exilium, quum armis in fratrem nihil proficeret, accepta provincia, in qua regi minimè poſſet obſiſtere, renunciatoque omni juri regio, conquievit. *Crantz. l.5. Sueciæ c.24.*

A N G L O R U M, S C O T O R U M.

Poſt Gorbodionem Britannorum regem Ferrex & Porrex ejus filii inter ſe de regno dimicare cœperunt, in quo certamine Ferrex interfectus eſt. Mater ſubito furore percita, alterum filium nacta dormientem, adjuvantibus ancillis, F crudeliter trucidavit. *Polyd. l.1.*

Layrus, Britannorum antiquus rex, non minùs egregiè, quàm prudenter, annos multos regnavit. Huic tres tantùm filiæ erant, quas jam ſenio confectiſſimus quibuſdam ſuis heroibus locandas, ac opes æqua lance dividendas ſtatuit. Verùm poſt duabus natu majoribus, quæ priùs nupſerant, opes aſſignavit, eò quòd illæ plus amoris in ipſum habere viderentur. Minima enim natu nomine Cordilla, cui natura præcox ingenium dederat, interrogata, an parentem multùm diligeret: reſpondit, ſe patrem ferre in oculis, ſemperque laturam, licèt deinde contingeret, ut quempiam alium (de marito intelligebat) ardentiùs amaret. Quo reſponſo, licèt ſapientiæ pleno, Layrus indignatus, indotatam regulo Gallo puellæ forma capto collocavit. Sed haud multò poſt à Generis & Filiabus, regno ſpoliatus, ad Cordillam confugere coactus, & ab ea in regnum reſtitutus, interfectis generis, triennium regnavit. Cordilla amiſſo viro, in Britanniam rediit, regnumque paternum juſſu populi obtinuit. Morganus intereà & Conedagius ſororum filii, facta militum manu, mulierem cum parvo exercitu obviam fa- G ctam ceperunt, in carceremque conjecerunt. Illa amiſſi regni dolore perculſa, poſt annum quintum, quàm regnare cœperat, ſibi mortem conſcivit. Morgano è medio ſublato, Conedagius ſolus rerum potitus eſt. *Polyd. l.1.*

Carausius, homo obſcurè natus, cæterùm militari gloria clarus, cum Diocletianus eum juſſiſſet oram Oceani circa Belgicam præſidio tueri, adverſus Saxones latrociniis mare infeſtum reddentes, putabatur de induſtria non priùs hoſtibus occurriſſe, quàm illos præda onuſtos ſenſiſſet, ut ea Saxonibus adempta potiretur: nec enim res ita receptæ provincialibus reſtituebantur. Itaque flagitii conſcius, cum comperiſſet indicio Maximianum Herculeum, quem Diocletianus imperii conſortem adſciverat, qui tunc in Gallia erat, de nece ſua cogitare, Britanniam occupavit. Eum Britanni, excuſſo Romanorum jugo, regem ſibi crearunt. Cum eo deinde eſt variè belligeratum. Sed cum vinci non poſſet, facilè pacem impetravit, ſeptemque deinceps annos inſulam tenuit. Hunc Alectus ſociorum unus per inſi- H dias occidit, & tyrannidem occupavit: ſed triennio poſt ab Aſclepiodoro præfecto prætorii vita privatus eſt, & Britannia à Romanis recepta anno Sal. ccc. *Polyd. l.2.*

Brennus Dunvallonis, Britannorum Regis, F. regnandi cupiditate fratrem Bellinum bello petiit. Sed antequam ad pugnam eſſet ventum, uterque matris interventu ab armis diſceſſit. *Polyd. l.1.*

Ethelbertus Orientalium Anglorum rex ſanctiſſim. procerum precibus victus, Alfredam Offæ Merciorum Regis filiam ducere, & majoris gratiæ à ſocero ineundæ cauſa ille ipſe ad puellam deducendam proficiſci voluit. Dum primùm in equum aſcenderet, terra ei viſa eſt tremere ſub pedibus. Exin in itinere de medio die nebula repentè circumdatus aliquamdiù nihil vidit: & noviſſimè viſus eſt ſibi in ſomnis videre faſtigium regiæ ſuæ ſubitò corruere. Iis portentis etſi terrebatur, attamen nihil fraudis ſuſpicatus, ire perrexit. Accepit Offa adoleſcentem venientem humaniter. Ejus uxor Quendreda, ut Ethelberto interempto regnum Orientalium Anglorum Offa occuparet, per ſicarios Ethelbertum noctu jugulavit. Offa ejus regnum ſtatim armis invaſit, occupavitque. Alfre-

A da virgo cognita morte ſponſi, divino inſtinctu concita, prædixit fore, ut mater ſceleris tanti pœnas daret meritas; id quod brevi poſt tempore contigit, Egfredo Offæ filio adoleſcente opt. ſine liberis mortuo. Ipſa virginitate Deo dicata, ad locum, cui nomen eſt Crolandia, ſe contulit, ibique ſanctiſſimè vitam egit. *Polyd. l.4.*

In Merciorum regno ſecutus eſt bonum patrem Cenulfum optimus filius Chenelmus admodùm puer, caſtiſſimis moribus. Is plenus pietate, ac ad res duntaxat divinas intentus, opera Quendredæ ſororis longè ſceleſtiſſimæ mulieris, in prima pueritia ab educatore ſuo jugulatus, & ne facinus unquam proderetur, in loco devio terra humatus eſt. Ferunt, non multò poſt quandam ſchedam literis aureis ſcriptam, ſuper princeps altare in æde principis Apoſtolorum Romæ incerto auctore poſitam, & in ea de martyrio innocentiſſimi Chenelmi indicatum, declaratumque eſſe, ubi loci corpus jaceret. Corpus inventum, multo cum honore in cœnobio Vinchelcumbenſi ſepultum eſt. Quendreda non ad curam regni adminiſtrandi, prout ſperaverat, admiſſa eſt, ſed oculis capta, diverſiſque cruciatibus afflicta, mi- B ſerrimè vitam ad exitum perduxit. *Ibid.*

Eduardus II. Edgari legitimus F. patre mortuo, invita Alfreda noverca, Egdari concubina, Rex dictus eſt, adoleſcens ſummæ ſanctitatis. Alfreda Etheldredum filium, Edovardo extincto, regnare cupiebat. Rex venatum ierat in eum ſaltum, quem vulgò vocant Novam Foreſtam, & ferarum canumque curſum inſecutus, ſolus ad ædes Alfredæ, quæ in proximo erant, bibendi, ſeu Etheldredi fratris viſendi cauſa acceſſit. Eſt eò loci hodie arx, quam appellant Corphim. Hunc equo inſidentem, & ſcyphum haurientem, ſervus Alfredæ juſſu percuſſit. Rex accepto vulnere, fugiens equo lapſus ſtatim interiit. Impia noverca poſteà corpus innocentiſſimi viri clam humari juſſit, & conſcientia urgente, jejunio & verberibus corpus ſuum afficiens, omne patrimonium aut indigentibus hominibus partiendo, aut ſacras ædes ædificando, ſarciendove effudit. Etheldredus in regno ſucceſſit. *Polyd. l.6.*

Beatrix, Eduardi Anglorum regis filia, Cithrico Danorum in Anglia duci matrimonio juncta fuit, ea conditione, ut ſi quis ex eo connubio virilis ſexus naſceretur, in regnum C ſuccederet Anglorum. Eduardi germanus Eduinus, Cithrici ſuaſu ſolutili navi conſultò miſſus ab Eduardo in Flandriam, ne ad regnum aſpiraret, paſſus naufragium, in mari interiit. Athelſtanus, Eduardi nothus, ſpontè exultatum ivit, ne Danorum inſidiis circumveniretur. Mox Eduardus à filia Beatrice admonitus, ut generi caveret inſidias, vehementer dolens fratrem Eduinum extinctum, quòdque ſanguinem cum Danis miſcuiſſet, actus penè in amentiam, perſonæ atque dignitatis oblitus, vix cohiberi ab aſtantibus amicis potuit, quin vim ſibi inferret. Ad ſe tandem rediens, dolore in iram verſo, filiæ opera generum veneno ſuſtulit. Duo Cithrico erant filii, Avalaſſus & Godofredus, arte militari inſignes. Hi ſummum omnium ſuffragiis adepti inter Danos magiſtratum in Albione, armati in paternæ necis ultionem, rem omnem ex aulicis & ancillis de noverca per quæſtiones extorſere, & inaudito ſupplicii genere, ovis ferventibus ſub axillas conjectis, brachiiſque ad thoracem arctè alligatis, incudi frigido nudam inſidentem horrendo cruciatu extinxere. *H. Boeth. l.11.*

Cæſis Danis una nocte per totam Angliam, cùm Hardica- D nutus Rex ſibiipſi manus intuliſſet, Goduinus vir potens ad duos Eldredi regis filios in Normannia exulantes accerſendos mittitur. Is verò filio ſuo regnum ambiens, Canuti II. regis ex filia nepoti, necem utriſque veneno intentat. Et Alfredus quidem periit: Eduardus ſervatus, in Angliam trajicit, & regnum avitum recipit. Atque, ut clementis erat ingenii, Goduino veniam petenti ignovit, ejuſque filium Heraldum ducem creavit Oxonii. Accidit ut dum regiæ aliquando menſæ adſtaret, & de Alfridi interitu querela eſſet exorta, Goduinus flagitii ſuſpicionem à ſe avertere conatus, arrepta panis bucella: Ita me Superi hoc pane ſtrangulent, inquit, ut me auctore Alfredus veneno necatus eſt, ac dicto citiùs moribundus in terram concidit. Rex ac circumſtantes miraculo rei obſtupefacti, Deum laudibus extulerunt optimum injuriarum vindicem. Mortuum cadaver in profano loco ſub patibulo ſepultum eſt. Eduardo mortuo, Angli Heraldo Goduini F. regnum deferunt. Cæterùm ob perfidiam a Gulielmo Normanno victus, & regno exutus eſt. Et aliquot poſt annis agri ejus, haud procul à Tameſis fl. oſtiis, arena ſunt obruti (vulgò Goduiſandis, hoc eſt, Goduini arenæ appellantur) communi poſteritate. *H. Boeth. lib. 12.* E

Philippus rex Francorum, Gulielmo Conquæſtori, Anglorum regi, cujus rerum magnitudo jam ei formidoloſa eſſe cœperat, negotium exhibere cupiens, quò ejus victorias infirmaret, Robertum ejus filium in patrem armavit. Promiſerat huic pater die ante, ſe Normanniam adminiſtrandam daturum. At juvenis cupidus Imperii, vi à patre conſequi ſtudebat, quod expectare longum cenſeret. Pater cùm exercitu in Normanniam trajecit: paratiſque copiis, dum pugnatur acriter, Robertus præmittit in hoſtem, pedeſtri jam turbatum pugna, equites, qui perruptis ordinibus, in noviſſimam aciem penetrant, quos ipſe inſecutus incidit in patrem, quem transfoſſo brachio, de equo in terram deturbat: ſed ubi ex voce patrem eſſe cognovit, omiſſo equo, eum tollit, ſe ad ejus pedes abjicit, petitque veniam commiſſi. Rex motus patria charitate, in amplexum filii accurrit, quem deinde morem ſibi gerentem in oculis ſemper tulit. Mortuo patre, Gulielmus Ruffus frater regnum occupavit. Robertus collecto exercitu illud fruſtra vindicare conatus, oppignorata Gulielmo Normannia, bellum ſacrum F in Syria ſecutus eſt. Morte Ruffi audita, ſpe fraterni regni Hieroſolymitano repudiato, quod ei à Latinis offerebatur, domum regreſſus, Normanniam facilè recuperavit, cùm frater ejus Henricus jam Rex declaratus eſſet, repugnantibus quibuſdam proceribus, qui ſe Roberto adjunxerant. Res jam ad arma venerat: verùm pax ita facta, ut Henricus, qui patre rege natus eſſet (nam eum Gulielmus Conquæſtor poſt regnum adeptum genuerat) Angliæ regnum obtineret cum Conſtantienſi comitatu in Neuſtria, & quotannis in ſingulos annos terna millia marcharum Roberto daret; & qui prior ſine liberis decederet, alterum hæredem teſtamento ſcriberet. Non multò poſt Robertum, virum ſanè quàm facilem æquè ac liberalem, Henricus ita blandis verbis affatus eſt, ut ſpontè ſua, illa tria millia marcharum in perpetuum ei remiſerit: atque ita vacuus paucis poſt diebus in continentem reverſus eſt. Addit Æmilius, Henricum proceres ſuæ ditionis, qui cum Roberto ſenſerant, in exilium egiſſe: eaque injuria irritatum Robertum, Conſtantienſem ducatum à fratre ad ſe revocatum, proceribus illis attribuiſſe. Pœnituit ſecundùm hæc Robertum libera- G litatis, qua erga fratrem minimè indigentem, & tempore non neceſſario uſus fuiſſet. Quare teneri non potuit, quin animo inimiciſſimo diceret ſe ab eo fallaciter circumventum. Hæc ubi Henricus reſcivit, infeſtis armis Normanniam invaſit, & parte ejus occupata, in Angliam rediit. Robertus imparem ſe tanto hoſti videns, cum paucis in Angliam profectus, fratri ſupplex factus, cum nihil æqui impetraſſet, illius ſuperbiam execratus, ſummis viribus pugnans victus eſt, atque perfidia ſuorum captus, honoribus fortuniſque omnibus exutus, in carcerem datus eſt, ad oppidum Valliæ, quod Cardiffum dicunt: ubi loci XXVI. poſt anno, partim ſenio, partim animi mœrore confectus, mortem obiit, vir certè præſtantiſſimus, & cum quovis claro belli duce comparandus, ſi aut paulò cautior, aut in ſententia conſtantior fuiſſet. Cujus crudelitatis Henricus pœnas dediſſe creditur, amiſſis naufragio Gulielmo, Ricardo & Maria liberis. Henricus Normannia omni potitus, ſe Ludovici Craſſi, Franci regis, beneficiarium profeſſus, in verba ejus juravit, ſpondens ſe Giſortianam arcem à Gulielmo rege exædificatam demoliturum, ubi primùm à Pa- H gano nobiliſſimo viro, qui eam obtinebat, recepiſſet. Receptam ille retinere integram perſeverabat, firmabatque. In extremis Normanniæ finibus caſtra caſtris collocata ſunt. Et hæc primordia graviſſimorum bellorum ab Anglis in Gallia geſtorum. *Æmil. l.5. & Polyd. l.11.*

Mortuo Henrico I. Anglorum rege, nullis ex ſe relictis liberis virilis ſexus, duæ florentiſſimæ inter Françoſ familiæ, regni ejus jus legibus ſibi obvenire dicebant. Mathildis Henrici filia, quæ Godofredo Comiti Andegavenſi nupſerat, ex eoque Henricum & Gulielmum procrearat, patri ſuccedere ſe æquum cenſebat, ut rem Anglicam major filius Henricus, nondum pueritiæ annos ſupergreſſus, cùm pubeſceret, regendam ſuſciperet, ſe interea tutrice. Contrà tendebat Stephanus Stephani Bleſenſium Comitis filius, ex ſorore ejuſdem Henrici regis ſuſceptus, opibus conſilioque præſtans. Uxorem duxerat unicam filiam Euſtachii Comitis Bononienſis, eoque defuncto, nobiliſſima urbe dotali potiebatur: unde in Anglia (nullo tunc Caliſii oppidi nomine) brevis commodusque eſt trajectus: ut fortuna illum in regni velut vacantis poſſeſ-

A ſionem exire videretur. Stephanus itaque prior regnum invaſit, & rex ab Anglis ſalutatus eſt. Mathildis, Ludovici Junioris Francorum regis auxilio, Andegavenſi Taronenſique ac Cenomana ſimul & Normannica juventute cùm tranſmiſiſſet, multa prælia, in quibus aliquot ſecunda fecit, Stephanum ſignis collatis cepit. Gulielmus Stephani filius, refecto exercitu, diſcrimen ſummæ rerum redintegrabat, impigro patre nihil ſegnior. Ultrò citròque amicis propinquiſque commeantibus fœdus ictum his legibus, ut Stephanus dimitteretur, ac omni deinceps vita regnaret; defuncto ſuccederet Henricus: Gulielmus verò Stephani filius certis in Anglia Normanniaque oppidis ipſe ſoboleſque potiretur. *Æmil. l.5. & H. Boeth. l.12.*

Edovardus IV. Henricum VI. ejuſque F. Edovardum ſummæ ſpei adoleſcentem, regnandi libidine captos interfecit: & fratrem ſuum Georgium Clarentiæ ducem metu inſidiarum in dolio vini Cretici ſuffocavit. At Ricardus III. frater, tutor filiorum relictus, occupato regno, Edovardum & Ricardum ejus filios captos in turri Londinenſi necavit. Ricardus ſcelerum conſcientia omnia timuit, Edovardum B filium unicum amiſit, in odio populi ſummo fuit, omnes calamitates publicas illius ſceleribus acceptas ferentis. Poſteàquam autem Henricum Richemondiæ comitem, exulem in Gallia, reditum tentare audivit: promiſſa ei in uxorem Elizabetha Edovardi IV. filia, ut nuptias haſce regno ſuo exitiales remoraretur, animum ad neptem adjecit, utque nuptiis illius potiretur, uxorem ſuam Annam, ſterilitatis crimine objecto, è medio tollendam veneno curavit. Sed puella inceſtum execrante, ab Henrico in acie priùs cæſus eſt, quàm libidini ſuæ ſatisfecerit, anno regni ſecundo, Chriſti 1486. Cujus cæde nunciata, ſupplicationes publicæ ſunt decretæ. Ejus cadaver nudum, dorſo equi impoſitum, artubus utrinque dependentibus, Leceſtriam ſine honore delatum. *Polyd. l.25.*

Henricus II. Anglorum Rex, Henricum F. conſortem regni fecit, ne ſe mortuo inter filios de regno exoriretur contentio. Dedit eo ipſo die rex, quo filius regia inſignia accepit, epulum, in quo honoris gratia primum ferculum, ipſe juveniliter exultans, filio diſcumbenti appoſuit. Quo facto, adoleſcens aliquantò ſuperbior effectus, cùm inſolen- C tiùs ſolito circumſtantes intueretur: Eboracenſis antiſtes, qui aſſidebat, joci cauſa, ad eum converſus: Gaude, inquit, optime fili; non eſt enim alter in toto orbe princeps, qui talem habeat in menſa adminiſtrum. Ad ea ille ſtomachatus reſpondit: Et meritò quidem: ille materno duntaxat genere clarus mihi adminiſtrat, qui & patre rege & matre regina natus ſum. Pater hæc audiens, antiſtiti ſubmiſſa voce ait: Pœnitet, inquam, pœnitet extuliſſe hominem. Filius æquas cum patre partes ſibi arrogabat. Pater contra & regio nomine, & ſpe regni contentum eum eſſe oportere cenſebat: ſin contumaciùs ageret, cùm quatuor eſſent fratres, proximum illi ætate Ricardum objiciebat: fœduſque cum rege Franco iniit, atque affinitatem inter regias, Margarita immatura virgo, filia Franci regis Ludovici; ſeni Henrico regi data eſt, ut ea ſervaretur, quoad matura viro foret. Puella nimis diù ab Henrico ſene ſervabatur, nec ejus, ubi maturuit, copia, cupido & regni & ſplendidiſſimi conjugii, juveni Henrico à patre fiebat, adeò ut atrox fœdaque ſuſpicio exoriretur, nuptias filii patrem ipſum inceſtum ſuum feciſſe. Ergo filius à patre defecit ad Francum regem: D ab eo gener beneficiariuſque, ac adeò Normanniæ Dux ſalutatur. Hinc auctus ad patrem redit, ab eoque Margaritam extorquet, eamque ſibi matrimonio jungit, exprimitque à patre, ut Angliæ proceres in verba ſua jurejurando adigantur. Cum uxore coronatus, à ſocero ad regnum vi occupandum inſtigatus, ſcelerata arma contra patrem geſſit, & fratres quoque duos, Ricardum & Godofredum, in ſocietatem impietatis traduxit, inſtigante matre Aleonora Aquitana, pellicum furiis accenſa. Henricus in Normannia à Gallo, in Anglia à Scoto, impietati filiorum faventibus, preſſus, cùm æquiſſimis pacis conditionibus oblatis nihil impetraret, ad vim neceſſariò converſus, armiſque ſuperior, filios tandem in gratiam paterno affectu recepit, cùm duobus annis bellum cruentiſſimum geſſiſſet. Nec multò poſt Henricus F. ad ingenium reverſus, clàm cum ſuis conſilia evertendi patris agitabat. Sed morte præventus, nefarii conatus pœnas dedit. *Polyd. l.13. & Æmil.*

Kennethus II. Scotorum Rex, cum per XX. annos regnum ſanctiſſimè adminiſtraſſet, in fœdum parricidii crimen incidit, eò fœdius poſteà habitum, quò innocentior fuerat ad id tempus ejus vita, notiuſque omnibus in publicam ſalu- E tem ſtudium. Nam ægrè ferens, Malcolmum ex Duffo rege fratre nepotem, ab initio ſuæ adminiſtrationis, Cumbrorum principem creatum, eumque ſuis liberis, ætate minoribus, in regno prælatum iri: ut filio ſuo Malcolmo (erat id natu majori nomen) Cumbriæ deferretur principatus, Malcolmum virum optimum veneno ſuſtulit. Mox antiquata lege, ne quis impubes in regno ſuccederet, Conſtantino Culleni filio, & Grimo Duffi regis ex fratre nepote, præteritis, viris prudentia, & auctoritate ſummis, F. Malcolmum Cumbriæ princ. deſignavit. Largitione conciliatis omnium animis, ipſe interim flagellis conſcientiæ mirificè vexabatur. Noctu quieſcens vocem incertam audivit, Tempus adeſſe Malcolmi cædis vindicandæ & expiandæ. Ea territus vehementer, malè antiſtite Moveano viro ſanctiſſimo accito, ſcelus fatetur, veniam precatur. Ejus verbis confirmatus, ſacra loca, divorum templa frequentiùs inviſere: piorum cœtus paupereſque veſtire, fovere: ſacerdotes plus ſolito honorare: nihil demùm omittere, quod pio rege dignum arbitraretur. Non multò poſt Forduni in Mernia ad Scotorum Apoſtoli Palladii ſepulchrum profe- F ctus, in arce Fetirca, ubi ſaltus erat omni ferarum genere abundans, à Fenella loci domina, cujus filium Cuthlinthum, quòd cruentam inter Anguſianos Mervianoſque ſeditionem excitaſſet, ultimo affecerat ſupplicio, receptus dolo interfectus eſt. Conſtantinus Culeni regis F. Malcolmo Kennethi F. Cumbriæ principe præterito, rex dictus: Eoque per Kennetum Malcolmi fratrem cæſo, Grimus Duffi regis nepos. Malcolmus inde Grimo reconciliatus fuit, iis legibus, ut Grimus, ne ludibrio eſſet, ſi ex rege privatus fieret, in publica adminiſtratione ad vitæ exitum perſeveraret: ſed eo vita functo, Malcolmus regnum adiret: Regium nomen Kennethi functione in ejus familia exinde remaneret. *H. Boeth. l.11.*

Mortuo Alexandro III. Scotorum rege, Gulielmi regis nepote, abſque liberis, inter cognatos de regno contentiones ſunt excitatæ: Duo erant præcipui, Robertus Bruſius, aviam habens paternam Davidis, Gulielmi regis fratris, filiam minorem Iſabellam, & Joannes Baliolus, aviam maternam habens Margaritam Davidis filiam majorem. Robertus itaque ſexu, Baliolus ætate nitens, re- G gnum ſibi deberi putabat. Arbitrum controverſiæ deligunt Edovardum I. Anglorum regem. Qui occaſionem hanc ſibi dari ratus Scotiæ ſubigendæ, primò quidem in Galliam ad juriſperitos conſulendos de cauſa hac miſit: ſed ut corruptè ac falsè varièque ſententias ferrent, præcepit ut ſi diversè à diverſis judicatum eſſet, cuicumque videretur, regnum adjudicare poſſet. Maxima tamen pars juriſperitorum pro Roberto judicabat, cùm ob nobilitatem viri, tum quòd à patre regiæ ſtirpis pars eſſet. Nonnulli alii pro Joanne, cauſam falsò ab Anglis edocti, pronunciarant. Edovardus Bervicii concilium viginti quatuor virorum, ex Anglis & Scotis proceribus delectorum, convocat, curiæ veſtibulum undique occluſum præſidio ſuo firmat, ne quiſquam ſe invito eò intraret, aut exiret. Mox corruptis judicibus, ut quem ipſe regem feciſſet, in verba priùs ſua veluti ſuperioris Regni adigere juramento poſſet: cum Robertum patriæ libertatis amantiſſimum fruſtra tentaſſet, Joannem in ſua verba jurare paratum, Regem dixit. Ferunt, Comitem Gloromoriæ, manu Roberti apprehenſa, in hac verba prorupiſſe: Memineris, ò rex, quàm rectam hanc cauſam judicaris: quidque ſu- H premo illi judici cordium ſcrutatori in cenſorio die ſis reſponſurus. Non multò poſt cùm Edovardus ad bellum Gallicum Joannem ex data fide ſolicitaret, is verò metu ſe in ejus verba juraſſe, neque niſi conſultis tribus regni ordinibus id ratum haberi poſſe affirmaret: bello indicto, Bervicium Anglus occupavit, & Roberti Bruſii proditione magno prælio victum Joannem, cum Edovardo filio ſpe pacis facta ad ſe venientem, metu mortis coegit, uti manu dextera ramum album tenens, jus omne regni in ſe transferret, diplomatibus pro arbitrio ſuo conſcriptis. Bervicium inde abiens, omnes nobiles Scotos in verba ſua jurare coegit: Joannem aliquamdiù in cuſtodia habuit Londini, ſed poſt in Scotiam remiſit, retento tamen filio. Joannes non ferens ignominiam, ſpontè in Angliam exul rediit, inde in Normanniam, ubi in caſtello Gaillardo amiſſis præ ſenio oculis tabe periit. *Hector Boethius, lib. 14.*

Extincto Angliæ rege Edovardo, Henrici XIII. F. Joanna